



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacramentis, Mille Sexcenti Errores, Vaniloqvia, Et Cavillationes

Miletus, Vitus

Mogvntiae, 1593

VD16 M 5205

Millesexcenti Errores, Vaniloquia & Cauillationes, De Sacramentis In
Genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30094



Millesexcenti

Errores, Vaniloquia & Cavillationes,

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.

I.



Atholicos (quos, nescio à quo Papa vel Pontifice, Papistas vocant & Pontificios) non rectè sentire de salutari vsu Sacramento. Cum luce sit meridiana clariùs, eos aliter de eo non sentire, quàm omnes ante ipsos senserunt Christiani. An & hi non rectè senserunt?

*Plenaque ex
Remitio, in 2.
parte Examina
Concilii Trident.*

2. Non idem sentire Pontificios de Sacramentis, quod veteres senserunt Christiani. Cum, si veteres excipias hæreticos, nec alij quidem, post Christum & Apostolos, Christiani in mundo extiterint, quàm Pontificij, qui soli fidem & religionem Maiorum suorum perueterum Christianorum, integram inuolatamq; semper tradiderunt & retinuerunt.

3. Minimè verum esse, quod Pontificij passim iactitant, nullos antè ipsos extitisse Christianos, qui diuersum ab ipsis in fide & religione senserint: Atqui nulli hætenus sunt proditi; si qui autem in annales sunt relati, ii ipsi omnium cæterorum Christianorum calculo, tanquam Pseudochristiani fuerunt habiti & condemnati, quorum etiam nec nomina quidem ad posteros peruenissent, nisi in Pontificiorum libris conseruata fuissent; Memoria enim iusti cum laudibus, nomen autem impiorum putrescit, &

A

scit, &

Millesexcenti Errores,

scit, & obliuione deletur sempiterna. Prou. 10. Ecclesiastes 6.
Eccl. 41. Psal. 9. 15. 82. 108.

4. Extitisse olim, qui quod docent Lutherani & Caluini-
niani, occultè docuerint vel publicè: At mirum si qui extite-
runt, quomodo in notitiam nec veteribus quidem peruenerunt?
Qui enim illi? vbi illi? quando illi? Et Hussum quidem, quem,
vt martyrem sanctissimum, & dogmatum suorum prædicare
solent Lutherani assertorem sincerissimum, in plurimis & præ-
cipuis fidei articulis ab ipsis dissensisse, vtro umq;, & huius &
illorum, probat Confessio. Berengarius verò, quem ex altera Cal-
uiniani parte iactant, non modo errorem suum agnouit, sed da-
mnavit, reuocauit, abiurauit. De Consec. d. 2. cap. Ego Bereng.

5. Latuisse quondam Lutheranos siuè Calvinianos sub
Papatu, ob nimiam Pontificum tyrannidem. An non hoc ipso
probant, nullum, post Christum & Apostolos, in mundo Con-
fessionis ipsorum publicum extitisse Ministerium vel Ministrū?
Et quomodo illa est, vel esse vilo modo potest vera Christi Ec-
clesia? indeficiens fides? constans doctrina? religio Catholica?
Confessio, supra quam Ecclesia Christi contra omnes infero um
portas ædificata est? cuius nullus vnquam, inter fideles vel infi-
deles, publicus extitit Minister? nullum Ministerium? nullus Au-
ditus? nulla professio? nulla prædicatio? Et quidem sub Papatu
latuisse aiunt suæ Confessionis homines, cum nullæ aliæ quales-
cunque latuerint hæreses: Ne hæreses & persecutiones Ecclesi-
am Christi penitus opprimant vel occultent, sed manifestent,
oportet enim (inquit Apostolus) *hæreses esse, vt qui probati sint non oc-*
cultentur, sed manifesti fiant. Denique Pontifici Romano, quem o-
derunt, tyrannidem obiiciunt, cum vel solus & inermis ab om-
nibus semper impugnatus fuerit tyrannis & hæreticis; quem e-
nim alium persecuti sunt olim tyranni? quem alium à Sede &
Cathedra deturbare conati sunt omnes hæretici? qui cum intere-
untibus illis omnibus, solus à Deo defensus & conseruatus fue-
rit, quis verus Christianus, hunc verum esse Christi Ministrum,
dubitet? Act. 5. Matth. 15.

1. Corin. 11.

6. Nes

Nec absurdum, nec videri debere à vero alienum asse-
 rere, veram nonnunquam latuisse vel latere doctrinam, fidem & Rom. 11.
3. Reg. 13.
 religionem, cum scriptura teste, multa olim sub impiis regibus
 & Pontificibus latuerint millia, qui genua sua non curuarunt
 antè Baal. Sed id in veteri duntaxat Ecclesia & populo, prius-
 quam Ecclesia Christi, per mundum, publico esset ministerio
 & prædicatione propagata & dilatata: Multos verò vel paucos
 post Christum & Apostolos, sub Papatu latuisse Lutheranos,
 nulla scriptura, nulla tradit Historia.

7. Aliud esse, longè in vel sub Papatu veros fuisse vel esse
 Christianos, veramque doctrinam, aliud ipsos Papistas veros
 esse Christianos veramque habere doctrinam, illud verum, hoc
 esse falsum. At quàm hoc sit vanum, vel ipsi fateantur Omnis passus
 necesse est, An enim aliud quoque est, in vel sub Lutheranis-
 mo veros esse Christianos, aliud ipsos veros esse Christianos?
 Et quidem hoc ipsum est, quod querunt Pontificij, ut ij qui in-
 trà vel extra Papatum, diuersam, eamque veram fidem & religi-
 onem professi fuisse dicuntur, in medium proferantur, si enim
 quoquo modo fuissent, maioribus nostris noti fuissent, ostendi
 possent, nec latere potuissent. Vanum est ergo, alios præter Pon-
 tificios, veros post Christum fuisse Christianos.

8. Mendacium esse apertum, quod magnis passim clamo-
 ribus, & plenis ubiq; personat buccis Pontificij, Maiores nostros
 & veteres Patres & Christianos, non aliud sensisse & docuisse, de
 fide & religione, quàm ipsi docent & sentiunt, cù si rectè legantur &
 examinentur, haud diuersum à Lutheranis & Calvinianis senti-
 re cõprobentur, quemadmodum eorum apud Kemnitium, Illy-
 ricum, Mutculû, Wisartum, Luth. Calvinû & alios testimonia
 extant plurima. Verû Pontificij non prouocant ad Kemnitium,
 Illyriû, Wisartum, vel alios Patrum & scripturarum deprauato-
 res sed ad ipsos Patres, qui si rectè legantur & inspiciantur, non
 alij quàm ipsissimi Pontifices & Pontificij esse deprehenduntur.

9. Indubitatum esse, veteres Patres, si rectè legantur, non
 dissentire à doctrina Lutheri vel Caluini. At, cum ipsi inter se-

Millesexcenti Errores,

se non idem sentiant Lutherus & Calvinus. Calviniani simul & Lutherani esse diciq; non possunt. Quin ipsos ad vnum errasse omnes, ipsi passim scribant Lutherani & Calviniani. Et hæc quidem contra Erasmum verba sunt Lutheri. *Neminem moueant Concilia, Patres, Scholæ, Ecclesiæ, antiquitas, sanctitas, multitudo, latitudo, profunditas, &c. omnes ad vnum damnati sunt, si, vt scripserunt, ita docuerunt & crediderunt.* An ergo vana ipsorum de Patribus gloriatio? qui si in medium proferantur, omnes cum Pontificijs errasse vociferantur? Et Lutherani quidem à partibus stare Lutheri Patres pertinaciter asserunt, cum Calviniani eosdem à partibus stare Caluini constanter affirmant, vtrique verò & hi & illi, à fide & religione omnium Patrum & Maiorum suorum publicè desciuerint.

10. Non esse inficiandum, Patres & Maiores nostros, cum homines fuerint, in multis errasse, &c. At si in doctrina errarunt fidei, cum ipsos à partibus stare suis pariter contendat, ipsos quoque errare, necesse est: Aut ergo desinant gloriari de patribus, aut patres non errasse dicant. Veruntamen si omnes antehac Patres & Maiores nostri in fide errauerunt, qui obsecro alij non errauerunt? an fortè à Patribus damnati hæretici? Et si qui etiam errauerunt aliquando Patres, aut tunc errauerunt, quando rebus controuersis nondum per Ecclesiam & Concilia declaratis, salua pace & vnitatem Ecclesiæ errare potuerunt, aut errores suos ipsi agnouerunt, & retractarunt, aut Ecclesiæ & Conciliorum definitioni subiecerunt, nec propter errores & opiniones suas communem Ecclesiæ pacem & vnitatem dissipauerunt aut deseruerunt. An sic isti? minimè, sed noua sua, contra omnes veteres, pertinaciter asserunt dogmata. Vid. August. de Catech. rudib. cap. 8. lib. 2. de Nupt. & Concupisc. cap. 29. lib. 1. cont. Iulianum, Pelag. cap. 2. Et libr. 2. propè fin. Et libr. 3. cap. 17. Denique si errarunt, in iis non errarunt, in quibus isti errant, Et si qui etiam eorum errores notati & condemnati sunt, ab iis notati & condemnati sunt, à quibus etiam isti cōdemnantur, nempe à Pontificijs & plenarijs Concilijs, non ab alijs.

11. Diuer-

11. Diuerfas esse Maiorū traditiones, à traditionibus Prophetarum & Apostolorum. *Sic impij homines* (inquit Illyricus ipforum) *mentuntur perniciosissime in re graui, & illam sacrosanctam primitiuam Ecclesiam, blasphemè anathemate feriunt. Quis melius nosse potuit, historiam Apostolicarum actionum & scriptorum? nūm illa primitiua Ecclesia, quæ id ab ipsis Apostolis, aut eorum discipulis, audire potuit, vel ista Synagoga, post mille quingentos annos? ò audaciam mentiendi extremam.* Traditiones sanè Apostolorum nosse certius nemo potuit, quàm Maiores nostri, Apostolorum temporibus vicini, qui si alias ab Apostolis accepissent, alias vtique posteris tradidissent, alias posteris accepissent.

Centur. 1. de Mend. Papis mendac. 97.

12. Ex Apostolorum, & Prophetarum, non ex Patrum scriptis, iudicandum decernendumq; esse de doctrina Christi, &c. Quasi Patres id ipsum non præstiterint? Veruntamen quid si quædam Christus & Apostoli non scriptis, sed viua voce & prædicatione ad posteros transmiserint quæ à Maioribus per manus accepta, ad nos non interrupto ministerio peruenissent? Verba sunt Dyonisij Areopagitæ ipforum discipuli Apostolorum. *Pri-* *mi illi Sacerdotalis muneris duces, summa illa & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis tradiderunt.* Et Augustinus, *Multa non inueniuntur in literis Apostolorum, nec in Conciliis posterorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab Apostolis tradita & commendata rectissime creduntur.* Assentiuntur, & idem contèstantur Patres reliqui, Iren. lib. 3. cap. 4. Tertul. de Coron. milit. Basil. de Spir. sanct. cap. 27. Ambros. epist. 81. Chrysoft. homil. 4. in 2. Tessal. 2. Epiphani. hæres. 61. Damascen. lib. 4. de fid. orthod. cap. 17. Euseb. Pamphil. lib. 1. Euang. demonstr. cap. 6. &c.

De Eccle. Hier. cap. 1.

Lib. 2. con. Donat. cap. 7.

13. Vnam esse Patrum omnium sententiam, contra scripturas Canonicas nihil esse recipiendum. Quasi alia sit Pontificiorū doctrina? Veruntamen, ea, quæ Patres vniuersaq; per orbem approbavit tradiditque Ecclesia, scripturis Canonicis esse cōsentanea, vna quoq; omnium Patrum est sententia, quomodo enim consentanea non sunt, quæ, vt consentanea, tota iudicauit, recepit & tradidit Ecclesia?

A 3

14. Ma-

Millesexcenti Errores,

*Deut. 17.
Matth. 18.*

14. Magis Scripturam, quàm Ecclesiam esse sequendam. Cum ipsa Scriptura perspicuis verbis iubeat, ne ab Ecclesie sententia vel ad sinistram, vel ad dextram declinemus. Et quisquis eam non audierit (quidquid etiam prætenderit) pro Ethnico & Publicano habeatur: Columnam enim esse & firmamentum veritatis, contra quam ipsa etiam inferorum portæ præualere non possint. 1. Timoth. 2. Matth. 16. Alibi.

15. Facillimum esse cuius, ex sacris iudicare literis, quid secundum fidem recipiendum, quidue sit reiiciendum, opus non esse ad incertas veterum recurrere traditiones. Cum eę ipsa scripturæ quod sacrae sint, non nisi ex veterum habeantur traditione, vt alibi: Et faciles quidem esse aiunt, etiam laicis hominibus sacras literas, & tamen nec Pontificios, nec Patres, nec Concilia, nec vniuersam ab Apostolis vsque ad nos Ecclesiam, eas intellexisse pariter affirmant? hæc quomodo coherant? si omnes etiam laici intelligunt, quomodo nec laici, nec vlli antehac intellexerunt theologi? aut si hi intellexerunt, quomodo ipsi aliter intelligentes rectè intelligunt?

16. Non esse attendendum, quid alij ante nos, sed quid Christus ante omnes dixerit docueritq; . Quali quisquam sit, de hoc qui ambigat? Verùm quid Christus dixerit docueritq;, potius audiendi sunt Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus & Patres reliqui, quàm Lutherus, Calvinus, Zwinglius, aut alij sectarij. à Patribus degeneres filij, qui dum Christum solum audiendum esse preterunt, posthabitis Apostolicis viris & Christianis omnibus, Lutherum, Calvinum, Zwinglium, & reliquos ab Ecclesia vniuersa audiunt Apostatas.

17. Nihil esse securius, quàm posthabitis hominum traditionibus verbo Dei simpliciter credere, nec extra scripturas salutem querere. Quasi extra Ecclesiam, vlla sit, vel esse possit, salus, fides vel scripturarum vera intelligentia? Et quidem simpliciter se credere, aiunt, cum à fide & religione omnium Maiorum suorum simplicium pertinacissima cõtentione discedant, omnia Catholice religionis dogmata cõtrouertant & inuertant, scriptu-

ras deprauent, nec, vt ante ipsos intellexerunt, qui sacras literas tractauerunt, intelligant. Et suum vnusquisque priuatum & deprauatum sensum & iudicium ipsissimum esse Dei verbum & scripturarum sensum protestetur. Alibi,

De Nomine Sacramenti.

18. **R**ecentem esse Sacramenti appellationem. *Luther. de Captiuit. Babylon. cap. de Ordine. Kemnit. & alij.*
Quid inde? dū modo congrua, & reb^o ipsis consentanea?

19. Veteres non fuisse vsos vocabulo Sacramenti. Cum eo frequenter vtatur, B. Augustinus, nec recens nec vulgaris auctor. Et quidem recentem esse nominis appellationem, quid prohibet? An rebus non mutatis, nouis vti nō licet vocabulis?

Epist. 118. & lib. 2. de doct. Obrist. cap. 3. lib. 2. cor. Parmen. cap. 13.

20. Primū fuisse Augustinum, qui Sacramenti vocabulum latius quā ad Eucharistiam & Aquam extenderit, *Kemnit. in 2. par. Exam. pag. 6.* Cum eadem pagina, & Tertullianum & Cyprianum idem scribat tribuisse Vnctioni, nisi quod aut libros eorum non esse gnifios, aut de vnctione intelligendos arbitretur Baptismatis. At Cyprianus non illis duntaxat, sed multis aliis locis Sacramenti vtitur vocabulo, lib. 2. epist. 1. & 3. ad Ceciliū. & lib. 4. epist. 7. ad Magnum. Idem Hier. in cap. 44. Ezech.

Tertull. contra Marcion. Et de Resur. carn. Cyprian. de Absolut. ped. Et de operib. Cardinal.

21. Non valdè rixandum de Nomine vel Numero Sacramentorum, dummodò res ipsa seruentur & explicentur. *Kemnit. pag. 3. & 10.* Cum vix hoc dicto, subiiciat. *Peregrinas opiniones & corruptelas, quas sub titulo Sacramentorum Pontificij rebus illis affinxerunt, non posse solidè & perspicuè refutari, nisi operculum illud (Sacramenti vocabulum) tollatur:* An non laborandum vt errores tollantur & corruptelæ? An rixantur, dum non rixandum esse vociferantur?

22. Rursum, non esse instituendam, inquit Kemnitius, *logomachian* de nomine Sacramenti cum Pontificiis; Cum paulò post, pagina 11. subiungat, *Non esse otiosam logomachian, sed necessaria-*

Millesexcenti Errores,

necessarium certamen & disputationem, eò quod in res ipsas multa accessoria, peregrina, falsa, & impia occasione vocabuli Sacramenti, sint inuecta: Hæc quomodo cohærent?

23. Denique non esse rixandum vel laborandum, inquit Kemnit. de Nomine vel Numero Sacramentorum, dummodo res ipsæ seruentur & explicentur; Cum statim subdat, *Non sine causa Pontificios tam pertinaciter pro asserendo nomine & numero Sacramentorum dimicare.* Et nos addimus, Nec ipsos è diuerso sine causa tam pertinaciter contra omnes Scholasticos & Pontificios, de iisdem è medio tollendis, dimicare: Quomodo ergò non est laborandum & dimicandum, cum vtrinque tanta contentione laboretur & dimicetur?

24. Optandum esse nunquam à Germanis receptum esse Sacramenti vocabulum, *Zwing. de ver. & fals. relig.* At cur obsecro, non debuit recipi à Germanis, quod ab omnibus aliis receptum fuit Christianis populis? An magis optandum, nunquam à Germanis receptum esse Zwinglium Sacramentarium, quàm Sacramenti vocabulum?

25. Veteres non fuisse vehementer sollicitos de vocabulis, maximè de vocabulo Sacramenti, proinde de eo non esse tantopere disceptandum. Cur ergò tantopere disceptant, cum nulla apud Pontificios de eo vnquam fuerit disceptatio? Quàm autem veteres de vocabulis fuerint solliciti, vel solum demonstrat vocabulum *Homouision*, propter quod tota propemodum euersa fuit Ecclesia: vnde B. Hieron. ex verbis malè prolati nascitur (inquit) hæresis, quam etiam ob causam, suos præcipuè scripsit retractationum libros Augustinus.

26. Postremò non esse multum rixandum, aiunt, de vocabulis dummodò res ipsæ seruentur. Cum vel hanc solam ob causam, vel potius fraudem, de iis non esse laborandum vel rixandum prætexant, vt ea occasione res ipsas è medio tollant, hac enim arte vsi sunt hætenus vocabulo ECCLESIAE CATHOLICÆ, quod ex Symbolis sustulerunt, & Christianam substituerunt, vt ea occasione Catholicam obscurant & obli-

rent,

rent, suam verò, quæ Catholica nunquam fuit, Christianam esse simplicibus persuadeant; quam quidem fraudem si vitio illis obiicias, parum esse rixandum de vocabulo, respondent, rem ipsam non minus explicari per Christianam quam per Catholicam, cum nulla sit vel esse possit verè Catholica, nisi eadem sit & Christiana. Quasi vicissim vlla sit, vel esse possit verè Christiana, nisi eadem sit & Catholica? Aut quasi symbola & Cõcilia Catholicam posuissent, nisi vim & energiam vocabulo inesse perspexissent. Christianam scripturarum prætextu iactare quiuis Pseudochristianus, Catholicam verò probare nullus potest, nisi Catholicus. Ut suo dicemus loco.

27. Sacramenti vocabulum, in ea significatione qua vtuntur Pontificij, esse *agraphon*, nusquam sacris literis expressum, proinde tantopere nec curandum, nec vrgendum. *Kemnitius*. Facile persuaserint latina non legi in græcis codicibus vocabula, in latinis alioquin legi. Epistola ad Ephes. testis est, in qua hæc leguntur verba, *Sacramentum hoc (matrimonium) magnum, est in Christo & Ecclesia*. Quod si etiam expressum nusquam extaret, non ideò reiicienda sunt vocabula, quia sacris literis non sunt expressa, dummodo iis consentanea, & res ipsas exprimentia.

Cap. 5.

28. Non licere vti vocabulis in rebus diuinis, quibus vti Deus ipse non præcepit, cuiusmodi sit vocabulum Sacramenti. *Calum. lib. 4. Instit. cap. 14.* Cum ipsi passim eadem Sacramenta appellent signa, sigilla, symbola, tesseras, signacula, *sphragidas*, &c. Deinde, si non rectè vtimur vocabulis, verbo DEI non expressis, non rectè ergo vtimur vocabulis, *Vsæ, Hypostasis, Essentiæ, Personæ, Trinitatis*, & similibus, nullibi sacris literis expressis? sine quibus tamen nec ipsæ rectè intelliguntur sacrae literæ?

29. Fanaticos esse Carolstadium & Zwinglianos, quod autument, idcirco non esse vtendum vocabulo Sacramenti quia *agraphon*. *Luth. cont. Carolstad. & Cœlest. Prophet.* Cum ipse idem prior reiecerit in libr. de Capt. Babyl. ann. 20. Et de Abrog.

B

Miss.

Millesexcenti Errores,

Miss. Quam etiam ob causam Philip. in Loc. ann. 20. & 21. signa potius & *sphragidas* seu sigilla appellanda censuit, quam Sacramenta, licet hanc eandem suam opinionem de nouo mutauerit, in Loc. ann. 31.

30. Rectè usurpari vocabulum Sacramèti, propterea quod usurpatio eius in Scripturis sacris non prohibeatur. *Idem Luth. loco cit.* Quasi hæc sit usurpationis propria ratio? Cur ergo non utimur Atrianorum vel aliorum hæreticorum vocabulis, cum nec ipsa prohibeantur? Itaque non idèdè rectè usurpantur vocabula, quia non prohibentur, sed quia contra sanam doctrinam fidei nihil complectuntur. Nemo autem nouit rectius, quibus sine periculo sanæ doctrinæ utendum sit vocabulis, quàm quæ suprà petram fundata est Christi Ecclesia, quæ Sacramenti uocem, ut propriè dictam, de septem signis seu Sacramentis, legitimo sensu & usu recepit & tradidit.

31. Res aliorum Sacramentorum, Confirmationis putâ, Pœnitentiæ, Ordinis, Matrimonij & Extremæ vnctionis, nec dignius, nec rectius illustrari, quàm si secundum scripturæ sententiam, nudè & simpliciter tractentur & explicentur, quod fieri æquè commodè possit, quantumuis Sacramenta non appellentur. *Kemnit. pag. 11.* Cur ergò Aquam suam & Cœnam Sacramenti appellatione dignantur? an & hæc sine nominis appellatione nudè & simpliciter tractari possunt & explicari? Et quidem, si res illæ æquè commodè tractari possent, tractatæ utique hæctenus fuissent, maximè à Scholasticis, qui rebus magis, quàm rerum mouentur & delectantur vocabulis & etymologiis.

De Numero Sacramentorum.

32. **N**ON esse septem Sacramenta. Mira cæcitas: septem esse negant, quod omnes concorditer Scholæ affirmât & Ecclesiæ: Pauciora uerò affirmant, quod nulla

nulla vnquam vel Schola tradidit, vel Ecclesia affirmavit. Nec interim quæ vel quot sint aut esse debeant, inter sese conueniant.

33. Septenarium Sacramentorum numerum non exprimi in sacris literis. Cum si nomen spectes, nec binarius quidẽ exprimatutur aut ternarius. Eadem vero Ecclesia quæ vnum vel duo, septem quoq; vt sacris consona literis, accepit & tradidit.

34. Vnum esse duntaxat, si propriè loquamur, Sacramentum. Cum Philipp. Illyric. & alij passim; duo esse si propriè loquamur, contendant.

35. Duo esse tantummodo, si propriè loquamur Sacramenta, Aquam & Cœnam. Kemnit. & alij. Cum tria esse Lutherus vtrò concedat, Vnde in Assert. contr. Louan. 35. *Pœnitentiam* (inquit) *cum virtute clauium absoluentium, Sacramentum esse liberè confitemur, habet enim promissionem, & fidem promissionis propter Christum.* Idem habet Apolog. Confess. Augustan. art. 13. Idem Concord. Calvin. lib. 4. cap. 19.

Idem Luther. de Capt. Babylone tom. 2. latin. Et tom. 7. de pœnit.

36. Tria esse Sacramenta, *Luth. supr.* Cum Philip. in Loc. anni 36. 52. 58. quatuor esse velit, Et Christus nullum expresse- rit, Neq; enim vel Baptismum vel Cœnam Sacramentum vocauit.

37. Quatuor esse Sacramenta. Philip. *supr.* Cum ibidem propendeat in sententiam Zwinglij quinque esse, Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, Ordinationem & Matrimonium: Et alibi non nisi tria statuat.

38. Quinq; esse Sacramenta. Philip. Zwingl. *supr.* Cum idem Philippus duobus post mortem Lutheri annis, cum Lipsensibus septem esse retinenda, definierit. Sleidanus, libr. 20. Histor.

39. Septem esse ex sententia Lutheranorum Sacramenta. *Lipsens. supr.* Cum hanc ipsam ob causam & definitionem hæresiarchæ appellentur ab Illyrico, Cent. 7. & in Adhort. ad Constantiam in agnita Iesu Christi veritate.

40. Multa vel pauca apud Lutheranos vel Calvinianos salutaria esse Sacramenta. Cum extrà Ecclesiam, aut omnino nullum

Millesexcenti Errores,

nullum fit, aut nullum Sacramentum proficit. Quin nec vim quidem ullam Sacramento, sed soli tribuant fidei Sacramenti, quod re ipsa aliud non est, quàm Sacramentum ex Sacramento proferri & tollere.

41. Omnes suprapositas de Numero Sacramentorum opiniones, suo quodam sensu verificari & affirmari posse, Sacramenti vocabulo propriè vel impropriè largoque modo accepto. *Kemnit.* Cum ex sacris literis nec, quid propriè nec quid impropriè Sacramentum sit, demonstrari possit. Eadem autem Ecclesia Catholica, quæ Baptismum & Eucharistiam, reliqua quoque propriè & non impropriè Sacramenta esse tradidit & definiuit.

42. Septenarium Sacramentorum numerum in Concilio Florent. Armenis fuisse obtrusum, cum Græcis verò tentatum, quos tamen eo numero, mille annis antè Conciliū caruisse constet, tametsi ab ipso Bartholomæo Christi fidem acceperint. *Kemnit. pag. 8.* Verius, & quod inficiari nec ipsi possunt, Lutherani rectius dixisse, Binarium suum numerum, ac totam Confessionem Augustanam Græcis & Armenis fuisse obtrusam, ab ipsis verò nec receptam nec approbatam, sed publico scripto à Ieremia Constantinopolitano Patriarcha refutatam, hoc enim ipsis & omnibus constat: Dogmata sanè Catholicorum nullis obtrusa, sed ab omnibus vbiuis gentium Christianis prædicatione Apostolorum & successorum fuerunt propagata, recepta, observata & tradita: quæ & ipsi cum Catholicis Sectarij à Maioribus ante Concilium Florentinum tradita acceperunt, sed in fide stabiles non permanserunt. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. 2. Pet. 2. Iud. 1.

43. Pontificios fundamentum septenarij sui numeri ponere in futilibus & planè puerilibus rationibus, ut puta in septem hominum statibus, in septem hominum vitiis & virtutibus, aliisque id generis septenariis numeris, reb⁹ aliis attributis. *Kem. pag. 3.* Cum eodem planè loco scribat, Pontificios asserere, omnia septem Sacramenta à Christo Iesu esse instituta, & per Apostolos tradita? An hæc levis futilisque ratio? Alia vero rationes,

Congru-

Congruentia (vt vocant) magis sunt, quam euincentes rationes. Nisi verò à Christo & Apollolis omnia & singula essent tradita, ab Ecclesia vniuersa nunquam fuissent recepta.

44. Septenarium Sacramentorum numerum, nullo posse conuenientiori Scripturæ testimonio à Pontificiis demonstrari, quam illo Apocalypseos 17. vbi de Septicipiti bestia & meretricis sic legitur: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris & bestia, quæ portat eam, quæ habet septem capita, quæ sunt septem montes, super quos sedet mulier.* Kemnit. pag. 4. Per Mulierem & bestiam Romanum intelligens Pontificem, per septem verò bestia capita, septem Sacramenta. Verum cum ipse toties protestetur, & repetat, se Baptismum & Eucharistiam, pro veris, propriis ac sacrosanctis agnoscere & venerari Sacramentis, annè ipse blasphemus, qui eadem sacrosancta Sacramenta blasphemè comparat bestia? Omnem sanè hæreticum spirituale esse meretricem & bestiam, vtpotè qui Christi fidem adulterat, gregemq; rapit & dissipat, nec ipsi quidem negant hæretici, id enim scriptura passim testatur. Urbis vero fidem & religionem, si sequi nolis, Orbis totius cur non sequeris? an enim alia Urbis, alia fides & religio est Orbis? aut ideo fides & religio Pontificiorum Catholica est, quia Urbis? & non magis quia Orbis? vnde & ipse Romanus Pontifex Catholicus dicitur, non quia Urbis solius, sed Orbis totius sequitur & tuetur fidem Catholicam, quæ hinc quoque Catholica nuncupatur, quia per totum Orbem vniuersaliter, non tantum per Urbem diffusa, vt habet August. epist. 48. 166.

45. Nusquam apud veteres extare disputationem, multò minus definitionem, de septenario Sacramentorum numero, proinde Tridenticolas Patres nimis impudenter & crudeliter anathemate damnare, qui plura vel pauciora numerent. Kemn. pag. 6. Cum is ipse numerus in Concilio ipsorum Lipsensi, vt refert Sleidan. postliminio fuerit reuocatus & definitus, num hi quoque impudentes & crudeles? Apud veteres verò, si nusquam fuit declaratus & definitus, ratio est, quia nunquam fuit controuersus, postquam verò controuerti cœpit, definiri ne-

Lib. 20. Histor.

Millessexcenti Errores,

cessariò debuit, vt quid Ecclesia sentiret, & Christi fideles credere deberent, omnibus constaret.

46. Veteres, quando propriè loquuntur de Sacramentis, nõ nisi duo recensere, Baptismum & Eucharistiam. *Kemnit. pag. 6. Calum. lib. 4. cap. 9. §. 1.* Atqui non idè cætera negat, qui duo recenset. Veteres verò, duo illa, quod cæteris sint illustriora, & omnibus manifesta, ac olim coniuncta, plerumque non numeri, sed exempli tantùm causa, recensent, quod etiam nõ fit, &c.

47. Licet antiquitas Sacramenti vocabulo variè luserit, omnes tamen, quandò incidunt in hystoriam Passionis Christi, quomodo ex latere eius sanguis profluxerit & aqua, docere, duo fluxisse duntaxat, Aquam pro Baptismo, & Sanguinem pro Eucharistia. *Kemnit. pag. 11.* Et ad hoc comprobandum plurima, finè necessitate, & à Pontificiis iam pridem allegata accumulat Patrum testimonia, imò ipsi (inquit) *Pontificij in Ecclesiis suis canunt, Hinc salutis Sacramenta emanant in Aqua & Sanguine, &c.* Adèd nempe stolidi Pontificij, vt quid canant, vel doceant, ipsi nesciant? sed frustra: An enim quia duo fluxerunt è corpore, nulla alia sunt ve esse debent Sacramenta? An minùs Sacramentum est Corpus, ex quo fluxerunt, quàm quæ ex illo fluxerunt? Non ergò quia fluxerunt duo, negantur cætera: Nec quid fluxerit, sed quid à Christo institutum Ecclesia acceperit, attendendum & asserendum est.

48. Solum Dyonisium ex vetustioribus pro septenario Sacramentorum numero, à Pontificiis posse allegari, qui tamen nec ipse septem, sed sex duntaxat, prætermisso Matrimonio, recenset. *Lutherus de Capt. Babyl. cap. de Ordinat.* Cum *Kemnitius pag. 6.* eundem nõ nisi quatuor recensere, & *Lyndanum* ex *Cypriano* septem allegare scribat. Quid verò Patres senserint, suis dicemus locis.

49. Nimis impudenter Concilium Tridentinum septenarium definire numerum, cum is in priori & puriori antiquitate definitus non fuerit, *Kemnitius citat.* Cum ipse definierit binarium:

binarium: An licuit Kemnitio, pro ea, qua est auctoritate, definire binarium, quem nullum vnquam definiuit Concilium; & non licuit Oecumenico Concilio, definire septenarium, de quo nullum vnquam dubitauit Concilium? maximè cum is ipse in Lipsensi ipsorum Concilio definitus & receptus fuerit: Eo ipso autem quia definitus non fuit, ne incertus esset definiri debuit. Supr.

50. Ridiculum esse, quod Concilium Tridentinum anathematiseos damnet, qui negauerint septem esse Sacramenta, à Christo instituta, cum Petrus à Soto, qui ipse Concilio præsens interfuit, in eoq; vitam obiit, cum multis aliis non obcuri nominis Pontificiis, asserat, Sacramenta quædam ex scripturis probari non posse, sed ex sola prouenire traditione Apostolica, proinde Concilium non eos qui negant, sed magis qui affirmant damnare. *Kemnit. pag. 6.* At næ vanus ipse? An enim à Christo negatur institutum, quod per Apostolos perhibetur esse traditum? An quicquam tradiderunt, quod à Christo institutum Apostoli non acceperunt? Licet ergo ex scriptis Apostolorum probari non possit institutio, ex ipsa eorum probatur traditio.

51. Apostolos non tradidisse septem esse Sacramenta. Atqui tradidisse, eadem ad nos Ecclesiæ testificatione peruenit, qua ipsorum scripturæ. Neque enim aliundè vel scriptas, vel non scriptas traditiones à Christo & Apostolis prouenire scimus, aut scire possumus, quàm per Ecclesiam & hominum traditionem.

52. Nusquam esse scriptum, septem esse Sacramenta. Cum nec vnum quidem esse, scriptum sit? ubi enim scriptum est, Baptismum esse Sacramentum? baptizandos esse homines legitur, baptismationem Sacramentum esse non legitur, sed ab Ecclesia habetur.

53. Ex scripturis sacris duo tantùm, quæ verè & propriè sint Sacramenta, probari posse, Baptismum & Eucharistiam. *Kemnitius.* Si Kemnitio credimus; sin autem Ecclesiæ & aliis, etiam suæ Confessionis hominibus, plura sunt. Et quidem
cum

Millesexcenti Errores,

cum ex scripturis probari non possit, quid verè & propriè sit Sacramentum, quomodo probabunt, duo tantum verè & propriè esse Sacramenta? Ecclesiæ ergo, non scripturæ definitione habetur, quid sit Sacramentum.

54. Opinionem de Septenario Sacramentorum numero, tempore Hugonis & Lombardi ex Sorbona in Ecclesiam irrepisse, ac Lombardum quidem, cum alia sua ex Patribus probare soleat, ne vnum quidem, pro septenario allegare numero. *Kemnit. pag. 3.* Hugoni tribuit & Lombardo, quod paulò ante, omnes Christo & Apostolis tribuere Pontificios, dixerat. Lombardus verò, etsi de Sacramentis in genere (quod superfluum erat) id non præstiterit, suis tamen locis, ubi de singulis agit Sacramentis, id abundè præstat.

55. Quicquid etiam dicant Pontificij & Scholastici, non esse septem Sacramenta. Sed Pontificij & Scholastici rationem quærunt, & auctoritatem, non inanem assertionem, cur enim alioquin vni magis, quàm parti credatur alteri?

De Definitione Sacramenti.

56. **N**VLLAM certam definitionem Sacramenti apud Pontificios extare, multas tradere Scholasticos, quibus tamen nec seipso expediant, nec aliis satisficiant. *Kemnit. pag. 9.* Quàm succinctam, facilem, expeditam & omnibus satisficientem definitionem, ipse tradat Kemnitius, paulò post patebit. Quamuis verò varij varias tradiderint definitiones, omnes tamen septem esse Sacramenta, per quæ gratia conferatur, definierunt. Cum interim ipsi, nec de Nomine, nec de Numero, nec de vlla inter se conueniant definitione.

Ead. definitio est 57. Non rectè definiri Sacramentum à Gregorio in c. *Multisecularium, Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium, diuina virtus secretius salutem operatur.* Hac enim definitione, (inquit Kemn,) quomodo Matrimonium erit Sacramentum

tum? Quasi sub tegumento maris & foeminae, non ipsa designetur Christi cum Ecclesia coniunctio? Ephes. 5.

58. Definitionem Hugonis, *Sacramentum est corporale, seu materiale elementum, foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem & spirituale gratiam*, nulla sui parte accommodari Eucharistiæ, cum in ea ex sententia Pontificiorum elementa materialia penitus annihilentur. *Kemn.* Cum penitus annihilari elementa nullus doceat Pontificius. Transubstantiari enim non annihilari docent: Per elementa verò materialia, Hugo non tam intelligit accidentia alia quàm substantialia.

59. Definitionem Magiltri, *Sacramentum est inuisibilis gratia, visibile signum*, non conuenire Matrimonio, in quo nec visibile aliquod sit signum, nec inuisibilis gratia. *Kemnitius.* Quasi corpora contrahentium, vel verba consensus exprimentia, non sint externa signa, internam Christi cum anima coniunctionem significantia?

60. Definitionem Scoti, *Sacramentum est signum sensibile, siue sit audibile siue visibile, gratiam vel Dei effectum gratuitum ex institutione diuina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis*, nec ipsis quidem probari Pontificiis, cum opinione ipsorum, non omnia Sacramenta ex institutione diuina, sed ex traditione proueniant Apostolica. *Kemn. ibid.* Quasi aliud sit traditio Apostolica, quàm institutio diuina?

61. Definitionem Occam, & aliorum, *Sacramentum est signum, significans effectum DEI gratuitum*, nimis latè patere, nec minùs lustrali quàm aquæ conuenire baptismali. *Kemn.* At Pontificij nõrunt Sacramentalia distinguere à Sacramentis. Et trita quidem Scholasticorum argumenta, pro diuinis aduersarij excipiunt obiiciuntq; oraculis.

Et hæc sunt, quibus nec se ipsos expedire, nec aliis satisfacere Scholasticos Kemn. scribit: Audiamus porrò, quàm ipse sese breuiter expediat, & omnibus aliis, aut nulli potius, satisfaciat.

62. Otto (inquit *Kemn. pag. 9.*) requiruntur proprietates,

C

ad

Millesexcenti Errores,

ad hoc, vt aliquid verè & propriè sit Sacramentum, &c. Sanè, Definitio Kemnitij (cui omnes omnium scholasticorum nec breues sunt, nec expeditæ) breuiserit, si tot diuersis constet membris & capitibus. Videtur autem non sinè causa vel cautela, octo, & non septem requirere proprietates, ne quis fortè ex septè suis proprietatibus, septem Sacramenta, aut septem suæ, suprà ab ipso memoratæ bellæ capita, quibus sacrosancta compararat Sacramenta, colligeret. An monstrum Definitio octo capitum? sed inspiciamus singula.

63. Primò (inquit) vt aliquid verè & propriè sit & dicatur Sacramentum noui Testamenti, sicut est Baptismus & Eucharistia, requiritur, vt habeat externum aliquod materiale seu corporale & uisibile signum seu elementum, quod certo externo ritu tractetur, exhibeatur & vsurpetur. Vnde hæc obsecro? Ex qua Scriptura? ex quo Apostolo? ex quo Propheta? Hugonis aliorumq; Scholasticorum, nullius Scripturæ vel Apostolorum ea sunt verba: Et cur magis cum Hugone signum materiale, corporale, visibile, quàm cum Scoto sensibile, vel audibile? Deinde, nullum Sacramentum verè & propriè esse Sacramentum, nisi habeat signum & elementum, sicut Baptismus & Eucharistia, quis dixit, vel requisit Theologus? suo quodam modo, nõ eodem, omnia Sacramenta sunt & esse docentur à Pontificiis.

64. Secundò (inquit Kemnit.) vt aliquid verè & propriè sit Sacramentum, necesse est vt signum illud seu elementum, & certus eius ritus, habeat expressum mandatum diuinum, seu institutionem diuinam. At quo scripturæ testimonio? an satis est Kemnitium quæ vult requirere? Extare nihilominus mandatum, de singulis dicemus Sacramentis.

65. III. Vt habeat mandatum & institutionem in nouo Testamento, quo excludantur vetera Sacramenta. Eodem sistit ruitq; quo superiora, fundamento. Vtrum verò suam habeant singula institutionem, suis dicemus locis.

66. IIII. Vt non ad tempus, sed vsque ad consummationem sæculi sit institutum, sicut Baptismus & Eucharistia. Quasi eadem

eadem omnium sit, aut esse debeat ratio Sacramentorum, quæ Baptismi & Eucharistiæ? quamvis suo quodam modo in singulis id requiri Pontificij non negant.

67. V. Ut habeat promissionem de gratia, effectu, seu fructu Sacramenti. Hæc quoq; Scholasticorum sunt verba. Nullam verò Lutheranos gratiam tribuere Sacramentis, sed soli fidei Sacramentis annexæ, infr. dicemus.

68. VI. Illam promissionem (inquit) oportet non simpliciter, nudè & per se tantum habere testimonium, in verbo Dei, sed oportet eam diuina ordinatione annexam esse signo Sacramenti, & eo quasi vestitam. Signo alligant gratiam, cum tamen non signum, sed solam fidem signo vestitam, iustificare & gratiam apprehendere identidem doceant. Infr.

69. VII. Promissionem illam oportet esse non de quibusvis donis Dei, siue corporalibus, siue spiritualibus, sed promissionem gratiæ, seu iustificationis, hoc est, gratitiæ reconciliationis, & remissionis peccatorum, & in summa, de toto beneficio redemptionis. De hac quoq; proprietate ne verbum in scriptura; Quin nec ipse alibi Kemnitius talem necessariò requirit, in Examine. Siquidem Canonis 6, pag. 26. vbi quærit, quam gratiam Baptismus vel Circumcisio conferat iustificato per fidem, cum aliter sese expedire nesciat, in sententiam Scholasticorum vltro concedit, nempe, Non esse de ratione Sacramenti, quod ipsam semper conferat iustificationem vel remissionem, sufficere, quod augmentum gratiæ Deus per ipsum largiatur: atqui Sacramenta quædam augmentum duntaxat conferre gratiæ, ipsa est Scholasticorum sententia. Ita videlicet, quod sæpè faciunt, eandem probant reprobantq; sententiam.

70. VIII. Oportere promissionem in Sacramentis, non in genere tantum significari vel annunciari, sed virtute Dei exhiberi, offerri, applicari & obsignari, etiam singulis, qui fide Sacramentis vtuntur. Quasi quisquam sit, qui Sacramentis vtatur sine fide? aut gratia per Sacramentum non verè conferatur, sed tantum tanquam sigillo aliundè data obsignetur? Infr.

Millesexcenti Errores,

Et hæc quidem octo Kemnitiani Sacramenti sunt capita, quæ omnia ex vno ipsius capite, sine vlllo Scripturæ testimonio excreuerunt, quæ attigisse hoc loco sufficit, Audiamus quæ subiungit.

71. Hæc omnia (subiungit Kemnit.) vera, manifesta, & firma, & certa sunt, hoc enim modo Baptismus & Cœna verè & propriè sunt Sacramenta, & excluduntur cætera. Sanè, si quis Cothurnum sibi, vt vult, adaptarit, aliis non æquè quadrare facile persuaserit; sed cum alij plus, alij minus ad Sacramentum propriè dictum requirant, non satis est, hæc vel illa pro libitu requirere, nisi requiri certis euincatur rationibus.

Nunc verò, vt videat Lector, quàm breuiter & facile contra omnes omnium Scholasticorum & Pontificiorum definitiones, sese expedit, & cunctis satisfecerit Kemnitius, colligamus ipsius verbis, Sacramenti ipsius breuem & expeditam (scilicet) definitionem, quæ talis est.

Definitio Sacramenti Kemnitiani.

72. **S**acramentum est externum, materiale seu corporale visibile elementum, seu signum, quod certo externo ritu tractatur, exhibetur & vsurpatur, habens expressum mandatum diuinum seu institutionem diuinam; institutum non in veteri, sed in nouo testamento: non ad tempus, sed vsq; ad consumationem sæculi, sicut Baptismus & Eucharistia: habens promissionem diuinam de fructu, seu effectu aut gratia, quæ ex institutione seu ordinatione diuina annexa est signo Sacramenti, eoq; quasi vestita, ita tamen vt illa promissio non sit, de quibusvis donis Dei, siue corporalibus, siue spiritualibus, sed gratiæ & iustificationis, hoc est, gratuitæ reconciliationis, & remissionis peccatorum, & in summa, de toto beneficio redemptionis, quæ non in genere tantùm significatur, vel annuntiatur, sed virtute Dei offertur, exhibetur, applicatur & ob-signatur, etiam singulis, qui Sacramentis fide vtuntur.

Hæc

Hac illa brevis, expedita & omnibus (scilicet) satisfaciens Definitio. Omnes alia Scholasticorum & Pontificiorum definitiones, nec breues sunt nec sufficientes, nec verae nec firmæ: quare? rationem reddit Kemnitius, quia hæc breuiter duobus tantum conuenit Sacramentis, Baptismo & Eucharistiæ, aliæ verò aliis quoque Sacramentis accommodari possunt. Quæ autem sit Ratio & Definitio, Lector videt. Sed videamus porro, quomodo à Definitione sua, omnia reliqua excludat Sacramenta, quod de singulis suo loco latius examinabitur.

73. Ordinationem non posse dici verè ac propriè Sacramentum, quod careat promissione gratiæ iustificantis in particulari, multos enim recipere ministerium, quod efficax est in aliis credentibus, cum ipsi, qui exercent ministerium non sint filij Dei. *Kem.* Vera sunt hæc apud eos, qui nec legitimum habent ministerium nec legitimum Sacramentum; Pontificij verò haud difficulter dant, nec ministerium Kemnitij verum esse Sacramentum, nec ipsum verè & propriè Sacramentorum esse ministrum, nec vllam in Vocatione sua prophana & illegitima accepisse, nec aliis abs se vocatis vllam vnquam contulisse vel conferre posse gratiã. De legitima verò Vocatione & Ordinatione id asserere haud quaquam possumus, cum perspicuis verbis affirmet Apostolus, ad Timotheum, *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterij.* Quod si qui gratiam per ordinationem non percipiunt, non Sacramentum, sed Sacramentum indignè percipiens, in causa est.

1. *Timoth. 4.*
2. *Timoth. 3.*

74. Ordinationem non habere certum, & in verbo Dei institutum ritum, *Idem.* Mirum: An ergò Impositio manuum, qua vsi sunt Apostoli, non est externus, & in verbo Dei expressus ritus?

75. Apostolos vsos quidem impositione manuum, non tamen ex mandato & institutione Christi, sed liberè. *Kemn.* Verum cum idem Kemnit. pag. 5. liberè det, nullius creaturæ esse, instituere signum vel ritum, per quem gratia conferatur, sed solius Dei, qua temeritate id tribuit Apostolis? an eo ritu vsi fuissent Apostoli, nisi ex institutione accepissent Christi?

Millesexcenti Errores,

76. Nullum extare in sacris literis de dicto ritu mādatum. *Kem.* Atqui Apostolos eo vfos constat, an sufficit? An non ex ipso vfu, mandatū (siuè legatur siuè non legatur) euidenter colligitur?

77. Sæpè dictum Ritum fuisse liberum & temporaneu, non constantē & perpetuum, Imò gratiā gratis datam, & solis Apostolis dum viuerent, concessam. *Kemnit.* Cum is ipse ritus, adhac vsque tempora, nunquā desierit. Et Apostolus verba illa, *Ne cui manus citò imponantur*, non pro vno duntaxat, sed pro omni absolutè pronuntiārit tempore.

78. Absolutionem, per quam remissio peccatorum annuntiatur, non esse propriè Sacramentum, quòd careat externo ritu & promissione efficaci, non enim gratiam per eam conferri, sed tantum prædicatione verbi annunciari. *Kemnitius.* Verum si de sua id Absolutione Kemnitius intelligat, quæ non est vera absolutio, sed absolutionis (nescio cuius) nuda denunciatio, non obluſtantur Pontificij, eam nec propriè nec impropiè Sacramentum esse. De vera autem absolutione, hoc est, toto Sacramento Pœnitentiæ, id intelligere, planè erroneum est: vt suo loco dicitur.

79. Absolutionem non habere externum elementum & ritum, sicut habet Baptismus & Eucharistia, proindè non esse, nec dici posse verum Sacramentum. *Kemnit.* At tale in omnibus requiri Sacramentis, quale in Baptismo cernitur, & Eucharistia, nullus aliquādo asseruit Theologus: Quin nec ipse Lutherus & Philippus pœnitentiā à numero Sacramentorum excludunt:

80. Pergit Kemnitius, & Matrimonium, thorum alioquin sanctum & immaculatum, Sacramentum esse constanter negat: Ex quo minimè ambitiosum esse, apparet, alioquin vel suum saltem, & Lutheri sui, cæterorumque Ministrorum verbi coniugium, Sacramentum esse, asserere, & facili colore persuadere potuisset. Absurdum quippè cuiquam videri posset, Ministrorum saltem thorum, tum propter ipsius verbi excellentiam, tum propter Ministrorum & ipsius coniugij sanctitatem, & mysticam planè significationem, coniunctionis eorum cum Christo Ma-

rię si-

Hebr. 13.

riæ filio, vnico eorum capite, redemptore, & mediatore, contra omnes Papistarum idolomanias, & Cælibatus, non esse dicique debere sacrosanctum Sacramentum? Pontificij sanè, etiam laicorum legitima coniugia, Sacramenti honore & nomine dignantur, dicente Apostolo, *Sacramentum hoc magnum est, in Christo & Ecclesia.* Suo loco. *Ephes. 5.*

81. Matrimonium non esse verè & propriè Sacramentum, sicut est Baptismus & Eucharistia. *Kemn. pag. 10.* At ne mirum? Matrimonio Sacramenti vocabulum derogant, quod solum eo nomine vocatur ab Apostolo: Baptismo verò & Eucharistia arrogant, quæ nusquam in Scripturis siue propriè, siue impropiè Sacramenta nominantur? Itaq; si cui meritò Sacramenti vocabulum tribui potest aut debet, ei maximè debet, cui ab ipsa tribuitur scriptura. *Ephes. 5.*

82. Matrimonium non vocari Sacramentum sed Mysterium. Quasi aliud sit Sacramentum, aliud Mysterium? quod enim græcis Mysterium, hoc latinis est Sacramentum: sed neque Mysterij vocabulo Baptismus nuncupatur vel Eucharistia in Scripturis sacris, sicut vocatur Matrimonium.

83. Matrimonium non esse propriè Sacramentum, quod annexam gratiam reconciliationis, iustificationis & remissionis non habeat. *Kemnit.* Cum nec ipse alibi talem in omni Sacramento, vt absolutè necessariam requirat: *Sufficere enim, ait, gratiam de toto beneficio redemptionis.* *In Exam. can. 6 pag. 24.*

84. Matrimonium non esse *Organon* seu medium, per quod Deus offerre, exhibere, & applicare velit beneficia redemptionis, quod proprium est Sacramentorum. *Idem pag. 10.* Cum paulò ante (immemor sui) dixerit, habere piorum coniugium Dei benedictionem & promissionem, quod in concordia, charitate & castitate cohabitare possint: An hæc non sunt beneficia redemptionis? Aut fortè idem est apud Kemnitinm, beneficium redemptionis, & beneficiũ solius iustificationis, aut remissionis? Denique: proprium esse Sacramentorum, offerre, exhibere & applicare beneficia redemptionis, ex quibus id ostendet Kemnitius sacris literis? *85. Ma-*

Millesexcenti Errores,

Ephes. 5. 85. Matrimonium non habere institutionem in nouo Testamento, sed in Paradyso, proindè non esse Sacramentum noue legis. An ergò Sacramentum Paradyfi? *Matrimonium enim, (inquit Apostolus) Sacramentum magnum est in Christo & Ecclesia.* Et si ergò primæuam habeat in Paradyso institutionem, Sacramentalem tamen gratiam & significationem habet à Christo.

86. Matrimonium non habere externum, quale in Sacramento quolibet requiritur, elementum. *Idem.* At obsecro scripturæ Canonice quale requirunt? Kemnitium tale requirere, quale nullus ante ipsum requisituit Apostolus vel Theologus, lego, tale verò necessariò requiri, nec apud Pontificios, nec apud cæteros lego Lutheranos?

Matth. 16. 18. 87. Nullum esse Confirmationis Sacramentum: Putà, si *1. Timoth. 3.* Luthero vel Caluino credimus, si autem toti credimus Ecclesie, quæ (teste scriptura) nec in Sacramentis, nec in cæteris errare potest fidei articulis, verè Sacramentum est.

88. Sacramentum Confirmationis carere externo ritu, cui annexa sit gratia. *Kemnit.* Cum eodem planè loco fateatur, Apostolos per manuum impositionem contulisse Spiritum sanctū: An aliud signum? an aliam quæris gratiam?

89. Ad dona Spiritus sancti percipienda, non esse opus Sacramento Confirmationis, vel manuum impositione, alia siquidem ordinata esse media, per quæ Spiritus sanctus dona illa conferat, confirmet, augeat, & conseruet, fidem nimirum, orationem & alia donorum exercitia. *Idem.* At pari ratione, nec Baptismum quidem nec Eucharistiam necessaria esse Sacramenta, dixerint, si enim per fidem & orationem aliaq; donorum media gratia confertur, quorsum baptizamur? quorsum communicamur?

90. Itaq; quod Kemnitius hoc loco exclamando interrogat, & interrogando exclamat, *Vbi mandatum in Scriptura & nouo Testamento? vbi exemplum? vbi promissio, quod ad illi institutionem detur Spiritus sanctus?* Vana prorsus exclamatio An enim per manuum impositionem Spiritum sanctum non dederunt Apostoli? an dedissent, nisi mandatum habuissent? Alibi. 91.

91. Fictum esse Extremæ vñtionis Sacramentum, quod careat promissione gratiæ. *Kemnit.* Kemnitiuſ hoc dixit: aliud ſcriptura, aliud Patres, aliud Concilia, aliud tota per orbem Eccleſia. Vt ſuo loco.

92. Pœnitentiam, Ordinem, Matrimonium, Confirmationem, & Extremam Vñtionem, non eſſe propriè Sacramenta, ſicut eſt Baptiſmus & Euchariſtia. *Kemnit.* Atqui propriè eſſe Sacramenta, tameſi tam expreſſam materiam & formam non habeant, ſicut illa, ſuo dicemus loco.

Quid ſint, vel non ſint, Sacramenta.

93. Sacramenta non eſſe aliud, quàm diuina quædam Teſtimonia, ad excitandam & nutriendam fidem inſtituta. *Luth. in Capt. Babyl.* Errant: Fides enim excitatur per verbum, non per Sacramentum, Eſt quæ fides Sacramenti, nõ autem Sacramentum fidei teſtimonium. Quis enim Sacramentum percipiat, niſi prius verbo credat? Ex verbo igitur Sacramento, non ex Sacramento credimus verbo.

94. Rurſum: Sacramenta non aliud eſſe aiunt, quàm inſtrumenta quædam excitandæ nutriendæq; fidei: Quam obſero fidem excitant aluntque in paruulis? dormientibus? vel quauis alia mente euagatione ea percipientibus?

95. Sacramenta eſſe inſtar miraculi, quod confirmat promiſſionem gratiæ. *Luth. ibid.* At miraculis credimus, propter euidentiã operis, ad confirmandam verbi veritatem, Sacramentis verò quis credat, niſi verbo priùs credat?

96. Sacramenta non eſſe aliud, quàm ſigilla verbi & gratiæ. *Luth. loc. cit.* An abſurdiùs quicquam? Etenim ſi Sacramenta ſigilla ſunt verbi, verbum ergò diploma erit Sacramenti. Atqui ſigillum ſine diplomate vim ſuam habet, & agnoſcitur,

D

diplo-

Millesexcenti Errores,

diploma verò sine sigillo minimè: Iam verò Sacramentum sine verbo, quam quæso vim habet? an Sacramentum sine verbo, sicut sine diplomate agnoscitur sigillum? Ipsum ergò verbum Sacramenti, non Sacramentum sigillum est verbi.

97. Sacramentum non esse aliud, quàm testificationem seu signum & testimonium gratiæ, quæ in usu ipsorum exhibetur & applicatur. *Kemnit. & alij.* Quasi verò gratiam exhibent vel applicent, si obicem inueniant, vnde si signa essent & testificatio gratiæ præsentis, sæpenumero falsa essent signa, cum nimirum iis conferuntur, qui obicem ponunt, siue qui fingunt se habere fidem, cum reuera non habeant. Non ergo sola & nuda sunt signa, sed vera instrumenta gratiæ.

98. Sacramenta esse signa, & testimonia gratiæ, conditionaliter, si nempe veram fidem inueniant. At formæ Sacramentorum non sunt conditionatæ, sed absolutæ, Non enim dicimus Ego te baptizo, vel absoluo, si credis, &c. sed absolutè, Baptizo te, absoluo te. Deinde si certi non sunt de fide sua, quomodo certifunt de iustificatione sua, quam ex sola fide prouenire docent? An non credit, qui certus est se credere, & per illam fidem se iustificari?

99. Sacramenta esse sigilla iustitiæ fidei, Quod alij dicunt, acceptæ per fidem promissionis & gratiæ. *Calvinus libr. 4. Insti. cap. 14. §. 1. Kemn. pag. 14.* Non rectè ergo baptizamur, vel pœnitentiam agimus, neque enim si gratiam haberemus, eam per Sacramenta quæreremus. Nec quisquam pœnitentiam agit in testimonium vel confirmationem & ob signationem acceptæ iustificationis vel remissionis, sed magis vt iustificationem & remissionem consequatur.

100. Sacramenta non esse aliud, quàm oppignorationem quandam, & quasi iusiurandum, quo sese homines Christo, eiuq; Ecclesiæ subditos publicè profitentur. *Zwing. de ver. & fals. relig.* Verùm, si Sacramenta nuda sunt pignora & attestaciones fidelitatis, quomodo (scriptura teste) media sunt & signa regenerationis? renouationis? sanctificationis? iustificationis? An scriptura

Ephef. 5.
Tit. 3.

De Sacramentis.

terra non ait, vt baptizemur, & pœnitentiam agamus, in remissionem peccatorum? Et carnem filij hominis manducemus, vt tam habeamus æternam?

101. Sacramenta non esse aliud, quàm symbola seu Notas & resseras, quibus homines Christiani à non Christianis internoscantur, cuiusmodi fuerunt olim rogæ apud Romanos, pallia apud Philosophos, &c. *Kemnitius in 2. part. Examin. Can. 5. pag. 21.* An ergo baptismo internoscuntur Catholici ab hæreticis? Sacramenta ergo signa sunt, non tantùm discernentia, sed verè sanctificantia, & iustificantia. Hinc Augustinus: *Sine sanctificatione Sacramenta quid profunt?* Item: *Quæ tanta vis aquæ, vt corpus tangat & cor abluat?*

q. 89. in *Leuit. 80. in 10.*

102. Sacramenta non esse aliud, quàm obfignationes quasdam, quibus homines Ecclesiæ incorporantur. *Zwinglius loco cit. Bucer. in cap. 3. Matth.* Sed hinc Pontificij aduersarios suos violatæ fidei reos conuincunt, cum, quam per Baptismum Romanæ Ecclesiæ fidem promiserunt, non seruârint: Sententia alioquin, vt superiores, erronea. Non enim Sacramenta signa sunt duntaxat obligationis, quale fuit Circumcisio, sed etiam nouæ regenerationis & iustificationis.

103. Sacramenta nõ esse aliud, quàm allegorias quasdam, & quasi signa bonorum operum, morumquè spiritualium, quibus homines admoneantur, quælibet aduersa pro Christo esse sustinenda. *Anabaptista.* Sed hac ratione idem esset finis & effectus omnium Sacramentorum, aliisque rebus magis propriis. Non igitur admonitiones duntaxat bonorum operum, sed vera sunt organa remissionis & gratiæ. 1. Corinth. 6. Ephes. 5. Tit. 3.

104. Sacramenta esse sigilla remissionis, impressa conscientis nostris, ad sustentandam imbecillitatem fidei. *Caluinus, Luther.* Errant. Sacramenta siquidem fidem non excitant, sed exigunt, Sacramentis enim propter verbum, non autem verbo credimus propter Sacramentum.

Millesexcenti Errores,

Homil. 83. in
Matth.

105. Sacramenta, cum sint signa corporalia, non pertinere ad homines Christianos, cū hi sint spirituales, ac rebus quæ cre- duntur, non quæ exterius videntur, saluentur. *Swenckfeldiani.* Sed hi non nos, sed Christum arguunt, qui ea pro hominum sa- lute instituit. Sed nec homo totus est spiritualis, nec Sacramen- ta signa sunt purè corporalia. Vnde Chrysoft. *Si tu (inquit) in- corporeus esse s, nuda tibi & incorporea dona Deus tradidisset, sed quoniam corpori adiunctum Spiritum habes, in rebus corporalibus, Spiritualia tibi traduntur.*

106. Scholasticos nullam certam affererationem, cur A- qua, vel Rosa, vel Cæra benedicta, non sint vel esse debeant Sa- cramenta, cum (opinione eorum) sint signa sacra, effectum ali- quem Spiritualem significantia & conferentia, respondere qui- dem aliquid, sed alium aliud, nec seipos expedire, nec aliis sa- tisfacere, nisi quod ingenuitas Gabrielis probetur, quia desit in- stitutio diuina, sed hac ratione etiam aliqua alia Sacramenta, ex numero septenario fore eximenda. *Kemnit. pag. 9.* Cum adeò non laborent, vt plerique eorum ne attingant quidem; alij verò, vt rem per se notam & manifestam, vix obiter explicent. Ga- brielis verò ingenuitas à quibus probatur Scholasticis? An eti- am probatur Caluini, Lutheri, Kemnitij & similium ingenuitas? qui vt breuiter sese expediant, omnibusque satisfaciant, omnia ea, in quibus sanctissimi quique ac eruditissimi viri longissimo studio desudârunt, ingenuè rotundeque negant? damnant? sub- sannant? Et cur magis probat Kemnitius Gabrielis, quam om- nium aliorum Scholasticorum ingenuitatem, quorum nullus, se- ptem esse Sacramenta, negauit? Denique quis Scholasticorum Aquam, vel Rosam, vel Cæram benedictam ex opere operato gratiam conferre dixit? quis diuinam institutionem qui- busdam deesse Sacramentis asseruit? An Apo- stolica traditio ex diuina non pma- nat institutione: Supr.



De Materia & Forma Sacramentorum.

107. **M**inimè esse necessariam materiam determinatam ad Sacramenta. *Luth. in Captivit. Brent. in Catech.*
At quis erit determinatus effectus, si determinata non sit materia? an scriptura certam & determinatam non præscribit?

108. Nullis verbis opus esse, ad Sacramentorum integritatem, determinatis. At cum Sacramenta res sint determinatæ, determinatam quoq; habeant formam, necesse est, sine qua determinatum esse nihil potest.

109. In Sacramentis non necessariò requiri verbum, ad hoc, vt fructuosè percipiantur. Cur ergo Christus certa præscripsit verba? Et quid est, quod August. ait, *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum? detrahe verbum, quid est Aqua, nisi Aqua? & quæ tanta vis Aquæ, vt Corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo?* *Tractat. 80. in Ioan.*

110. Formam Sacramentorum non esse verbum Consecratorium seu Sacramentale, sed concionale tantum. Errant: Neque enim Concionem, sed benedictionem, sanctificationem & consecrationem verba sonant: Sed neque infantes concionum, sicut Sacramentorum, sunt capaces.

111. Verba Sacramentorum esse tantum historica, non consecratoria. Atqui Christus historiam nullam recitavit, cum acceptum in manus panem benedixit, & manducandum porrexit: Sed neque Apostolus historiam recitari, sed panem & calicem scribit benedici, cum ait, *Calicem cui benedicimus, nonne communicatio est Sanguinis Christi, &c.* Et quidem si verbis, ex institutione diuina, vis inest nulla, nec ad effectum conferunt, quicquam, rebaptizandus ergò erit nemo, qui sine verbis baptizatur? *1 Cor. 11.*

Millesexcenti Errores,

112. Sacramentorum Consecrationem non esse aliud, quã magicam per murmura verborum incantationem. *Passim omnes.* Verum cum magia nulla sit, vel esse possit, sine pacto quomodo- libet inito cum Diabolo, verba verò Sacramentorum pronunciantur ex ore & pacto Christi, non ad dementandos vel incantandos, sed ad sanctificandos, & à potestate Diaboli eripiendos homines, quomodo magica sunt, vel dici possunt? An Christus Magus? An Christus Belial? An sanctificatio hominũ, incantatio est, vel magia? an potius eorum verba & doctrina blasphemata?

113. Pontificios vim Consecrationis Sacramentorum ponere in solo murmure & strepitu verborum, siue vt Kemnitius loquitur, in solis Syllabis & Characteribus, siue vlla fide & sensu. Errant: Non enim in sono vel numero characterum & syllabarum, sed in sensu & significatione vim illam ponunt: Nec vna magis, quàm alia lingua Sacramenta administrari docent, non attendentes, quo sono sonituque vel caractere verba pronunciantur, dummodo sensus verus & ordo retineatur, sine quo Consecratio fieri nulla potest.

De Discrimine Sacramentorum noui & veteris Testamenti.

114. **D**iscrimen nullum esse, inter Sacramenta veteris & noui testamenti, nisi quoad signa & ceremonias externas. *Kemnit. pag. 16. Idem Luth. expressè tom. 2. lat. de Capt. Babyl. pag. 73. Et idem expressè contrarium in Conuinc. tit. de Sacram.* Errant verò, planum est enim, signa vtrobique esse persimilia, Neque enim alius vel panis vel aqua, vel oleum vel vinum in nouo est, ac in veteri fuit testamento. Non ergò in signis, sed in rebus ipsis significatis, querendum est discrimen.

115. Augustinum passim scribere, Sacramenta vetera in signis diuersa, in re fuisse eadem. *Kemnit. pag. 15.* Verum id quidem,

dem, sed non eo (quem Kemnitijs fingit) sensu, quasi eandem, quam significabant, rem ex institutione sua contulerint, alioquin egena & nuda minimè dicerentur ab Apostolo elementa, sed quod in usu ipsorum res eadem, non propter institutionem signi, sed fidem Christi venturi, conferebatur. *Galat. 4. Coloss. 2. 1. Cor. 10.*

116. In hoc duntaxat differre Sacramenta nostra à veteribus, quod illa significabant Christum venturum, nostra verò annunciant exhibitū. *Kem.* Atqui propter solam significationem, nulla instituenda erant noua, neq; propter ipsam, sed propter hominum instituta sunt renouationem, sanctificationem & iustificationem. Igitur non in significatione Christi præsentis, futuri vel præteriti, sed in virtute & efficacia ipsorum Sacramentorum quaerenda est diuersitas.

117. Sacramenta vetera non tantum significasse, sed verè contulisse gratiam, eandem quam nostra conferunt. *Kemnit. Hebr. 1. Luther. supr.* At si eandem contulerunt, quomodo nostrorum figura fuerunt & vmbra? An idem sunt Corpus & corporis vmbra? Figura & veritas? Quomodo nuda fuerunt & egena signa & elementa, si eandem cum nostris gratiam contulerunt? *1. Cor. 10.*

118. Pontificios negare, Sacramenta quoquo modo contulisse gratiam. *Kemnit.* Minimè: Etenim ex opere operantis, siue quod alij dicunt, ex fide in Christum venturum gratiam contulisse, eaque homines saluatos fuisse, nulli negant Pontificij.

119. In hoc differre Sacramenta vetera à nouis, quod noua maiorem & vberiore gratiam conferant veteribus. *Kemnit. ibid.* Cum eodem prorsus loco pluribus contendat, in veteri lege eundem fuisse Christum, eandem promissionem, eandemque fidem & gratiam: Et quidem, si per illa, non minus ac per nostra, homines saluabantur, quid minus conferebant illa quam nostra? Denique maiorem volunt conferri per noua, cum nec per hæc, nec per illa vllam dari, sed propter fidem eandem omnibus imputari passim contendat?

120. Pontificios gratuitam promissionē, quā gratia offertur & ex-

Millesexcenti Errores,

& exhibetur, & fidem, qua promissio apprehenditur, ex Sacramento proscribere. *Kemnit. ibid.* At mirabile est, quomodo fidem ex Sacramentis proscribant, cum sine fide ad Sacramentorum perceptionem neminem admittant? Gratiam verò quomodo Sacramentis derogant, cum eam ex opere operato conferre omnes affirmant?

121. Pontificios Sacramenta ex Sacramentis proscribere, ex Dei actione facere opus nostrum, ex gratia meritum, ex promissione præceptum. *Kemnit. ibid.* Egregie sanè, Omnia prope modum Sacramenta è medio sustulerunt & proscripserunt, & dum hoc ipsum palàm factitant, Pontificios qui ea scriptis factisque propugnant, id agere clamitant? Et quomodo ex actione Dei faciunt opus nostrum? An Sacramentorum vis & operatio opus non est Dei? Ex gratia verò quomodo faciunt meritum? cum sine gratia, non modo nullum meritum, sed nec opus quidem vnde quaque agnoscant bonum? nec aliud sint nostra merita, quàm Dei gratuita dona. Promissionem denique nulli præceptum faciunt, sub præceptum tamen cadere omnes docent.

122. Calumniari Pontificios, quod Lutherani Sacramenta è medio tollant, & proscribant. At cum vim nullam Sacramentis, sed omnem fidei, atque adeò parem omninò tribuant veteribus, nonné Sacramenta penitus eneruant & annihilant? De qua re Basil. sic loquitur: *Qui veritatem vmbra comparans, eamq; figuris conferens, ea quæ figuris significantur tribuit, vniuersam pariter Evangelij dispensationem eleuare aggreditur.* Et infr. *Quid confers lauacra cum lauacris? quæ solam nominis appellationem habent communem? rerum verò tanta est differentia, quanta est inter somnia & veritatem, inter vmbra & imagines, & inter ea quæ verè sunt.* Et idem significauit Augustin. cum dixit: *Sacramenta non sunt eadem, quia alia sunt dantia salutem, alia promittentia Saluatorem.*

123. Augustinum, quando dicit, Sacramenta veteris testamenti promississe Saluatorem, nostra verò conferre salutem, loquitur à modo de iis Sacramentis antiquis, quæ annexam promissi-

De Spir. Sanct.
cap. 14.

In Psal. 73.

promissionem non habebant. *Kemnit. pag. 13.* Cum de omnibus loquatur in genere, dicens, Omnia fuisse mutata, eò quòd nulla dabant salutem: Deinde loquitur de illis, quæ promittebant Saluatorem, at quomodo salutis non habet promissionem, quod salutis promittit datorem? an aliud est promittere Saluatorem, quàm promittere salutem per Saluatorem?

124. Non esse præsumendum de tanto viro Augustino, quod senserit, nullam per Sacramenta vetera collatã fuisse gratiam, cum palàm sit, Circumcisione saluatos fuisse homines. *Kemnitius ibid.* Cum nullus vnquam Circumcisioni gratiam ex opere operantis detraxerit.

125. Pontificios studiosè occultare, & deprauare sententiam Lutheri, quasi senserit, omnia indifferenter veteris legis Sacramenta contulisse gratiam, cum non ignorent, vel ignorare deberent, quod idem Lutherus annotauit, in sua *Capt. Babyl. Sacramenta quaedam veteris legis tantùm fuisse præfiguratiua, seu significatiua*; alia autem non tantùm significasse, sed etiam habuisse annexam promissionem gratiæ. *Idem Kemnitius.* Cum hanc ipsam distinctionem ab aliis non habeant, quam à Scholasticis, qua tamen non obstante, gratiam nullam ex opere operato contulisse, vnanimiter omnes contestantur Scholastici.

126. Iridem Noe, Vellus Gedgonis, signum Achatz, vmbra Horologij, & similia, vera fuisse veteris testamenti Sacramenta. *Lutherus de Capt. Babyl. cap. de Baptismo.* Somnia dicere debet, non Sacramenta: Ecquis enim ea vera fuisse Sacramenta aliquando somniauit? Nisi signum quodlibet, Sacramentum quoquo modo dicere velimus? *Genes. 9.
Iudic. 6.
Isai. 7.
4. Reg. 20.*

127. Scripturam non definire de Sacramentis veteris legis, quid sint per se, hoc est, ex institutione diuina, vt scilicet sunt sigilla promissionis gratiæ, & iustitiæ fidei, sed repræhendere solum & refutare eorum falsas opiniones, quas homines externis illis ritibus, neglecta promissione & fide, affingebant. *Kemnit. pag. 14.* Cum nec vetera, nec noua Sacramenta, sigilla sint promissionis, vt alibi diximus, Eo enim ipso, quo sigilla dicuntur

E gratiæ,

Millesexcenti Errores,

gratia, eam conferre negantur, aliud est enim, longè sigillare vel obfigurare, aliud, verè efficere & conferre gratiam.

128. Scripturam reprehendere falsas eorum opiniones, quas homines illis ritibus, neglecta promissione & fide, affingebant. *Kemnitius*. At quinam obsecro illi Pontificij vel Scholastici, qui neglecta promissione & fide, externis signis & ritibus meritum aliquid vel gratiam tribuerunt? Gratiam verò Sacramentis annexam, non hominum vel Scholasticorum affinxit opinio, sed Christi addidit & indidit institutio.

129. Augustinum, quando scribit, Sacramenta vetera per Christum fuisse ablata, & noua instituta, numero pauciora, obseruatu facilia, significatione præstantiora, virtute maiora, vtilitate meliora, &c. non velle, quod Sacramenta vetera nullam omninò contulerint gratiam, sed quod non tantam, quantum nostra, *Certè enim*, (inquit *Kemnitius*) *quæ secundum magis & minus comparantur, licet gradu differant, in vno tamen & eodem genere conueniunt*. Verùm Augustinus non tantum asserit, ista numero esse pauciora, sed etiam virtute maiora & efficaciora: At obsecro, quâ virtutem maiorem habent ista, si non conferunt, quod illarantum significabant? aut si illa quoque gratiam qualemcumq; contulerunt, quomodo umbra & egenaelemèta fuerunt?

De Efficacia Sacramentorum.

130. **D**ocere, Sacramenta esse causam iustificationis, non esse aliud, quàm abstrahere homines à Christo & eius passione, & iustificationem tribuere signis. *Caluin. lib. 4. Inst. cap. 14. §. 14.* At nisi homines isti à Christo prorsus essent abstracti, aut potius in reprobum sensum traditi, vaniloquia eiusmodi minimè effutirent: An enim à Christo abstrahuntur, qui ad illa media ablegantur, quibus ad Christum peruenitur? & quæ ipse pro salute hominum instituit Christus? An Apostoli homines à Christo abstraxerunt, quando interroganti-

bus il-

bus illis quid facerent, ut vitam consequerentur aeternam, responderunt, *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisq; vestrum, &c.* Act. 2. 42.

131. Varias esse Scholasticorum opiniones & disputationes, de virtute & efficacia Sacramentorum, nullum tamen attigisse scopum, quin ipsum etiam Cyprianum, cum Hugone & aliis aberrasse. *Kem. in 2. part. Exam. de Efficac. Sacram. pag. 21.* At qui gratiam ex opere operato Sacramenta conferre, nullus aliquando dubitavit vel negavit Scholasticus, tametsi modum, quo eam conferant vel applicent, non oese eodem sensu explicent.

132. Pontificios sentire, Sacramentis per verbum conferri virtutem quandam spiritualement, inhaerentem, per quam agant & influant in animam, siue effectiue, siue dispositiue. *Kem. pag. 21. Heshus. in suis 600. mendac. tit. 15. error. 12.* Cum ex omnibus Scholasticis, non nisi Thomam proferant & Durandū, quorum tamen rationes nec diluunt, nec forte diluere possunt. Sententia alioquin nec communis, nec de fide.

133. Hugonem docere, idē Sacramenta prius sanctificari, ut per eam sanctificationem, ipsa quoq; dum applicantur, sanctificent. *Kemnit. ibid. Et in eodem, inquit, errore fuit Cyprianus.* Vide, an solis (ut supr.) Scholasticis ea quæstio negotium facesserit. In hoc autem (inquit August.) Cyprianus dissentit ab hæreticis, quod, propter opinionem suam, Ecclesiæ communis unitatem nec dimisit, nec diuisit, sed eidem se suaq; dogmata subiecit, & quod plenaria Concilia declararunt vel definierunt, ab eo nec deflexit, nec deflectendum docuit. An sic Kemnitius? Heshusius? Calvinus? Lutherus? minimè gentium, quin ut errores suos pertinaciter statuant, totam Ecclesiam dissipant, omnesq; Patres & Concilia erroris damnant: Sacramenta verò, ex institutione sua, & ex opere operato, sanctificare, & gratiam conferre, ipsis etiam testibus aduersariis, omnes docent Pontificij & Scholastici.

Lib. 1. cont. Doct. natib. cap. 18. lib. 3. cap. 2. Et alibi frequenter.

134. Illos, qui hoc tempore docuerunt, Sacramenta non habere peculiarem efficaciam, sed tantum esse signa & notas Christianæ professionis, aut Symbola CHRISTIANÆ societatis,

Luth. in Pollill.
in Circumcis. In
3. cap. Gal. tom.
7. de causis dam-
natorum articul.
in Bul. Et y. par.
de Schembam.
pboras.

pag. 12.

aut *commonofactiones fidei*, &c. nimirum in sinistram à Pontificiis opinionem deflectere & errare. *Kemnit. cit.* Cum id ipsum alij non docuerint, quàm Lutherani. Sed neque ex ipso Kemnitio, si totam eius, de Efficacia Sacramentorum, verbosissimam tractationem diligenter euoluas & reuoluas, aliud elicies, quàm Sacramenta nullam prorsus conferre, sed obsignare duntaxat, & aliunde collatam offerre & exhibere gratiam; Quin & ipsam suam Confessionem Augustanam, ait, Sacramenta vocare sigilla promissionum, ac solam fidem Sacramenti, non ipsum conferre Sacramentum gratiam. Sacramentum verò esse sigillum & obsignationem gratiæ, per fidem apprehensæ. *Itaq; quod multoties repetit:*

135. Non esse negãdam, efficaciam certã & peculiarem Sacramentis, eò quod illam scripturæ sacræ expressè tribuant: vaniloquum se ipsum ostendit, Cum re ipsa nullam eis, sed soli fidei Sacramentis annexæ, tribuat, nec alia ratione sensu vè Sacramenta conferre gratiam concedat, quàm quoniam vetera contulisse dicimus, nempe, ex opere operantis, siue propter fidem, non autem ex se, siue ex opere operato. Itaque In, Sub, & cum Sacramento fidem esse statuunt, quæ iustificat, sicut, In, Sub, & cum pane corpus esse volunt, quod viuificat.

136. Verbum & Sacramentum esse obiectum fidei, & monstrare nobis, vbi fides debeat querere & apprehendere Christum. *Kemnit. pag. 23. vbi id ipsum repetit multoties.* Rursum vides, Kemnitium, quamuis verbis plurimis protestetur, se non negare efficaciam Sacramentis, re ipsã tribuere nullam. Neq; enim vult, ea vlllo modo causam esse gratiæ, sed tantum obiectum fidei; quod aliis verbis explicat, non esse nisi sigillum, obsignationem, & confirmationem fidei, ad hunc solum instituta finem, vt sint obiectum, & tanquam reale & visibile verbum imbecillis fidei. Ita videlicet palliare suam solent sententiam, vt contrã Pontificios aliquid dicere, nec tamen scripturis apertis videantur contradicere. Itaque fidem Sacramento vestitam, non è contrã Sacramentum fide vestitum, causam vult esse gratiæ.

137. Sacramentum esse obiectum fidei. Errant: *Fides enim* (inquit Apostolus) *ex auditu, auditus autem per verbum Dei*: propter verbum ergò Sacramento; non propter Sacramentum credimus verbo. Estq; fides Sacramenti, non Sacramentum obiectum fidei. Romans. 10.

138. Concilium Tridentinum, insidiosè & Sycophantico artificio, damnasse Lutheri sententiam, quod Sacramenta instituta sint, ad excitandam, alendam, confirmandam, augendam & conseruandam fidem; Lutherum enim id tantummodo velle, necessariam esse fidem in Sacramentis, ad percipiendam gratiam, sed quoniam fides ex solo verbo Dei concepta, in hac infirmitate languida est, nec facilè, nec certò, nec firmiter promissionem in nudo verbo propositam apprehendere potest, ideò Deum instituto ritu, illam, quasi visibilem fecisse, vt fides faciliùs, certius, & firmiter apprehendat promissionem. *Kemnit. pag. 24. 25.* En quàm verum sit, quod dicitur, vno dato absurdo, sequuntur multa. Inprimis enim Concilium nec insidiosè, nec Sycophanticè, sed apertè & rotundè sententiam hanc, etiam vt à Kemnitio torquetur & explicatur, damnauit, ait enim Can. 5. *Si quis dixerit, Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta esse, anathema sit,* quibus verbis sententiam illam, quomocunq; intellectam, damnauit, Neq; enim Sacramenta fidei quicquam conferunt, neque eam excitant, sed præexigunt, eam verò per Verbum Dei accipimus, excitamus, nutrimus, augemus, confirmamus & conseruamus, fideq; , per verbum & auditum accepta & confirmata, Sacramentis communicamus.

139. Lutherum supradictam opinionem asseruisse propter Pontificios, nullam prorsus fidem in Sacramentis asserentes vel exigentes. *Kemnit.* Aperta calumnia: quis enim sinè fide Sacramenta ministrat vel vsurpat? Anne aliis, quàm fidelibus, Sacramenta ministrantur?

140. Pontificios & Concilium Tridentinum in omnibus suis Canonibus, ne vnica quidem syllaba, ad salutarem Sacramentorum vsu, fidem requirere, sed omnia anathemata, pro-

Millesexcenti Errores,

scriptionem & deportationem fidei, ex salutari usu Sacramentorum crepare. *Verba sunt Kemnitij loco cit.* Cum (vt supra) fidem Catholicam non solum non excludant, sed præexigant: Excludunt verò & damnant fidem inanem & Lutheranam; quæ cū vera non sit, non solum à Sacramentis, sed ab omnibus excludenda est Ecclesiis & piis mentibus.

141. Pontificios ritibus, sine expresso mandato Dei institutis, & humana temeritate introductis, æqualem, imò maiorem & præstantiorem efficaciam spiritualem tribuere, quàm Sacramentis, quæ verè & propriè sunt Sacramenta. *Kemnit. pag.*

24. Quot verba, tot vaniloquia: Neq; enim vlla Sacramenta humana sunt temeritate introducta: Neq; alia illis efficacia tribuitur, quàm quæ singulis ex institutione Christi competere deprehenditur. *Supr.*

142. Fidem Sacramenti vel verbi iustificare. *Kemnit.* Sacramentum fidei iustificare, omnes hætenus docuerunt Theologi: Fidem verò Sacramenti iustificare, contrà omnes Theologos docent aduersarij; Et tamen solam, sine Sacramento, fidem iustificare, identidem negant?

143. Lutherum, quando docet: Non Sacramentum, sed fidem Sacramenti iustificare, non velle, quod sola sine Sacramento fides id agat, sed quia iustificationem in verbo & Sacramento sola apprehendit. *Kemnit. pag. 25.* Et addit: *Eodem sensu quo fides verbi, etiam fides dicitur iustificare Sacramenti:* Planè, quo sensu vnum, eodem verum erit & alterum, hoc est, vtrumque à veritate alienum, Neq; enim vel fides verbi, vel fides iustificat Sacramenti, sed fides (dicente Apostolo) quæ per charitatem operatur. *De quare suo loco.* Deindè quid aliud, obsecro est, sonatvé, Non Sacramentum, sed fidem Sacramenti iustificare, quàm ipsum Sacramentum ad iustificationem nihil conferre? Quemadmodum nec sine charitate & operibus fidem iustificare aiunt, & tamen nullam prorsus partem operibus, sed totam tribuunt iustificationem fidei.

Galat. 5

144. Sacramenta esse causas & organa, per quæ Pater velit gratiam suam offerre, exhibere & applicare, Filius meritum suum communicare credentibus, Spiritus sanctus efficaciam suam exercere ad salutem omni credenti. *Kemnitius pag. 22. 23.* Vide, postquam diu multumque ac verbosissimè sese expedire, ac omnib⁹ satisfacere promiserat Kem. tandè, tandem in sententiam Scholasticorum (quos tamen plurimum aberrare, & nec seipso expedire, nec aliis satisfacere dixerat) pedibus, manibusquè adrepat & concedit, nisi quod aliis & paulò elegantioribus & prolixioribus, utatur verbis. Omnium enim Pontificiorum & Scholasticorum vna est sententia, Deum causam esse principalem gratiæ; Christi passionem meritoriam; Sacramenta verò instrumentalem. Hanc sententiam, ut Papisticam, longa verborum pugna exagitauit & oppugnauit, tandem cum se aliter nec expedire, nec explicare posset, manus præbuit. *Sed rursus resistit, & ait:*

145. Sacramenta esse quidem causas instrumentales gratiæ, non tamen per se sine fide. At hoc idem omninò est, ac Sacramenta non esse causam. Aut enim totum effectum soli tribuunt fidei, & sic Sacramentum causa non erit, effectum fidei attingens: aut econtrà, soli Sacramento, & sic fides à causalitate excludetur: Aut partim vni, partim alteri, Et sic non sola fides, sed etiam Sacramentum iustificabit, quod tamen negant.

146. Non esse de ratione Sacramentorum, quod gratiam iustificationis vel remissionis conferant, si eam in subiecto reperiant, sufficere, quod quantum in se est, id efficiant, & gratiam, quam reperiant, augeant, confirmant & conseruent. *Kemnitius pag. 24.* Cum paulò antè (pag. 9.) contra Pontificios cõtenderit, non quamlibet gratiam ad Sacramentum propriè dictum sufficere, sed necessariò requiri, ut sit gratia iustificationis, reconciliationis & remissionis, proinde nec Matrimonium, nec Pœnitentiam, nec Ordinem, nec Vnctionem, esse censent.

conferenda propriè Sacramenta, quamuis augmentum conferant gratiæ. At vide, quàm paulatim ex rigido mollis fiat Kemnitius Lutheranus, paulatim, si vita durasset, futurus planè Pontificius; Id enim, quod hoc loco sæpius repetit, Sacramenta quantum in se, semper conferre gratiam, nisi collatam vel obicem in subiecto reperiant, nec tamen frustra vsurpari, cum et si non conferant, collatam augeant, confirmant, & conferuent, &c. non ex se, nec ex sacris desumpsit literis, sed ab ipsis (quos impugnat) Pontificiis, vt videas, quid vel quos impugnent homines isti, odio magis personarum, quàm causarum excæcati & obstinati.

147. Concilium Tridentinum, omnibus indifferenter, quæ numerat, Sacramentis, arrogare gratiam. *Kemn. pag. 25.* Quid velit, non capio: Si enim per collationem gratiæ, causalitatem intelligat gratiæ, ita, quod Concilium definiat, omnia Sacramenta causare & efficere gratiam, quam significant, planum est, nec dici potest aliud: Sin autem intelligat, Concilium definire, singula Sacramenta parem conferre remissionis & reconciliati-
onis gratiam, errat, suam enim cuius propriam, non parem aut eandem assignat; Sed nec ipse hoc loco Kemnitius talem requirit, ait enim, sufficere, si augmentum vel robur conferant, quod omnibus Sacramentis competit indifferenter.

Canon. 6.

148. Concilium Tridentinum, definiendo septem esse Sacramenta, omnes omnium Scholasticorum, quantumuis diuersas & absurdas opiniones, de collatione gratiæ, sine vlla prorsus declaratione, vel exceptione, approbare. *Kemnitius ibid.* Cum non aliud definiat, quàm Sacramenta conferre gratiam, in quo omnes (nullo excepto) conueniunt Scholastici; de modo verò, quo eam conferant, in quo nonnulli dissentiunt, nihil definit Concilium. Non sunt ergò pugnantes Scholasticorum de ipsa gratiæ collatione opiniones, sed de modo duntaxat.

149. Concilium Tridentinum, quando definit, Sacramenta conferre gratiam, si ritè suscipiantur, studiosè cauisse, ne fidè nominaret, vt ea exclusa vel neglecta, opinionem suam, de humanis deuotionibus & traditionibus, stabiliret. *Idem.* At ne somni-

ſomniarunt quidem aliquando Pontificij, Sacramentum vllum ritè percipi, ſi ſine fide percipiatur, Neque enim infidelis quicquam, Sacramenta fidelium ritè percipit, cum fide careat, lege caput 5. 6. & 7. ſeſſ. 6: eiufd. Concilij.

150. Pontificios, in Sacramentorum vſu, non admodum curare vel vrgete interiorem pœnitentiam, ſed alias diſpoſitiones ex hominum proponere traditionibus, & iſtis gratiam promittere. *Idem.* Res noua: Pœnitentiam cum omnibus ſuis partibus ex numero Sacramentorum ſuſtulerunt penitus, Et Pontificios, qui ſine ea nullum ritè percipi docent Sacramentum, non admodum curare vel vrgeri, aiunt? Nimis magnæ & manifeſtæ calumniæ, nugæ & neniæ.

De opere operato.

151. **N** Vllam Sacramenta conferre gratiam, ſed ſo-
lam, ad gratiam conſequendam, ſufficere fidem diu-
inæ promiſſionis. Cum eos ipſos, id qui docent, vt
maximè à vero deſlectentes & exorbitantes, redarguat Kemn.
pag. 21.

*Ex Kemn. in 2.
part. Exam. in
Cano 7. & 8. &
pag. 25.*

152. Lutheranos minimè negare, Sacramenta conferre gratiam; Verbis putà, non re, ſolam enim fidem Sacramento veſtitam, non ipſum Sacramentum gratiam conferre, Sacramentum verò tantummodò fidem, ne vacillet, ſuſtentare, conſeruare, & obſignare, paſſim docent, Supr.

153. Sacramenta non conferre gratiam ex opere operato. Cum alius modus, quo gratiam conferant, nec excogitari quidè poſſit, vt patet ex dictis, aſſerere enim Sacramenta gratiam conferre ex fide, vel opere operantis, eſt negare, Sacramenta conferre gratiam.

154. Opus operatum eſſe *Mylon eridos*, malum illud contentioſum, &c. *Kemn. pag. 13.* At ni ipſi contentioſi eſſent, in con-

F

trouer-

Millesexcenti Errores,

trouersiam non vocarent, quod apud omnes haecenus extra cō-
trouersiam fuit. Apud Pontificios quidem nec contentiosum
est nec controuersum.

155. Varias esse, & non satis explicatas Scholasticorum opi-
niones, de opere operato. *Kemnit. pag. 26.* Sacramenta conferre
gratiam ex opere operato, vna est Scholasticorum omnium sen-
tentia; quomodo verò conferant, aliqui variant. Aduersarij
verò, vt quaestiones circa modum euitent, rem ipsam negant.

156. Opus operatum, esse Helenam illam, cuius stabilien-
dæ, introducendæ, & ornandæ gratia, Patres in Concilio Tri-
dentino conuenerint, & omnes præcedentes de Sacramentis
Canones constituerint, vt Commentum Scholasticorum, de o-
pere operato, stabiliretur. *Kemnit. pag. 25.* Vide quàm sit verum,
quod supra dixerat, varias esse, nec satis explicatas Scholastico-
rum opiniones de opere operato, vt in eo omnes consensisse fa-
reatur Scholasticos; Et cur Concilium id non approbet & sta-
biliat, in quo omnes conuenerunt & consenserunt Theologi?
aut fortè stabilienda & obtrudenda sunt ea, in quibus nulli vn-
quam conuenerunt Christiani?

157. Monstruosum & peregrinum esse dogma, de opere ope-
rato, ipsum monstrare vocabulum barbarum. *Kemnit.* Quali
inufitatum sit Prophetis, barbaris veritatem exprimere vocabu-
lis? An non præstat, rem explicare barbaris, quàm obscurare ver-
bis facundis?

158. Pontificios per opus operatum excludere fidem, &
bonum motum interiorem. *Kemnit. fuse.* At tantum abest quod
excludant, vt sine his nec consistere quidem aut prodesse Sacra-
menta doceant. Ecquis enim Sacramentum sine fide vel qua-
rat, vel percipiat? Quis, sine delictorum detestatione, peccata di-
mitti docet Pontificius? An non ipsum Concilium Tridentinum
perspicue tradit, in iuu iustificationis esse à fide? Fide ergò Kem-
nitianam, Lutheranam, Calvinianam, non autem fidem exclu-
dunt Pontificij Catholicam & iustificantem.

159. Pontificios docere, abundè prospectum esse hominib⁹,
externa

externa Sacramentorum exhibitione & susceptione, quicquid etiam fit vel fiat de vera Pœnitentia: *Kemm. pag. 27.* Cum nullus omninò adustus sine pœnitentia & peccatorum Confessione, Sacramentum suscipere permittatur. Et quis hominem sine pœnitentia saluari vnquam docuit Catholicus? Et tamen similia de Pontificiis commenta populo per summam calumniam venditare & obtrudere non erubescunt?

160. Pontificios, cum opponunt opus operatum fidei & Pœnitentia, in Sacramento, omnem penitus excludere à Sacramento fidem & pœnitentiam. *Kemm.* At obsecro, quo pacto in Sacramento opponerent, si à Sacramento excluderent? an opponi posset fides operi in Sacramento, nisi fides esset in Sacramento? Itaq; ab effectu vel causalitate Sacramenti, non ab ipso excludit Sacramento: gratiam enim seu effectum Sacramenti, ipsi Sacramento, non fidei tribuunt in Sacramento.

161. Rem adèò claram & manifestam esse, quod fides à Sacramentis non debeat excludi, vt etiam præcipuè inter Pontificios, à fœditate illius dogmatis, per opus putà operatum, excludi fidem, ab horréant. *Kemm.* Cum (vt dictum est) nec vllus quidem dogma illud asseruerit, neque enim fidem à Sacramento, sed ab efficientia duntaxat effectus Sacramenti excludunt, eo prorsus modo, quo ipsi vice versa ipsum excludunt opus, non quod non concurrat, sed quod effectum tanquam causa principalis non producat vel attingat. Vtrumq; ergo requirunt, & opus Sacramentale, & fidem, seu opus & motum bonum suscipientis, Deum tamen effectum largiunt, non propter fidem vel bonum motum suscipientis, sed propter ipsum Sacramentum, seu opus operatum. Id quod non adèò diuersum est ab eo, quod omnes vereq; docent, effectum Sacramenti non pendere vel provenire à dignitate ministri, vel suscipientis, sed ab ipsius Sacra. vel operis.

162. Gabrielem asserere, opus operatum excludere omnem bonum motum à suscipiente. *Kemm. Helshus. in suis 600. erroribus, tit. 15.* Errant: Non enim (vt dictum est) à Sacramento, sed à causalitate effectus Sacramenti, motus excluditur.

Motum autem Gabriel excludit ab opere operato, tanquam causam vel meritum gratiæ, quam propter operatum, non operantis opus, à Deo dari contendit. Quod Kemnitius vel non intellexit, vel studiosè reticuit.

In 4. d. 3. 7. 1.

163. Paludanum docere, ipsum Sacramentum non præsupponere, sed efficere dispositionem, fidem putà, & bonum motum in suscipiente, & hoc propriè dici causare Sacramentum gratiam ex opere operato. *Kemnit.* Cum Paludanus per dispositionem non fidem, sed singularem quendam animæ intelligat ornatum, quem ipsa Sacramenta in animam introducere opinatur. Sententia alioquin nec de fide, nec communis Scholasticorum.

164. Marsilium & Mensingerum, disertis verbis, omnem ab opere operato excludere bonum motum internum. *Kemnit. pag. 27.* Qui semel aberrare cœpit, errandi finem nescit, Non enim hi vel alij motum excludunt à suscipiente, vt fulissimè patet ex ipso Marsilio, in quarto d. 1. sed id volunt duntaxat, non propter ipsum motum, sed propter ipsum opus Sacramenti, conferri gratiam, ita, quod motus hac in parte necessariò quidem, nõ tamen concurrat effectivè vel meritoriè ad effectum Sacramenti, 165. D. Thom. Palud. Gabriel. & alios Pontificios docere, Missam prodesse ex opere operato, etiam illis qui nullam habent in corde pœnitentiam: imò iis qui sunt in peccato mortali. *Kemnitius loco cit.* Cum id solùm velint, Missam, non in quantum est Sacramentum, sed in quantum est sacrificium, omnibus prodesse, & beneficia impetrare iis, pro quibus offertur. Itaq; effectum sacrificio, non per modum efficientiæ, sed per modum impetrationis tribuunt, sicut Orationes nostræ, aliq; bona opera, dicuntur prodesse impiis, iisq; veniam mereri & remissionem. *Vt alibi.*

166. Nostri sæculi scriptores, qui in Regno Pontificio fulciendo columnæ videri volunt, opinionem operis operati hoc argumento declarare & confirmare, quod Baptismus conferat gratiam paruulis, qui tamen per ætatem credere non possunt, quasi

quasi non sit alia ratio de adultis ac paruulis. *Kemnit.* Cum nullus omninò rationem eandem esse docuerit. Ex ipsis verò paruulis videre licet, Sacramentum producere effectum, ratione ipsius operis, non ratione fidei vel pœnitentiæ paruulorum, qua carent. De fide verò paruulorum, infrà de Baptismo.

167. Pontificios docere Sacramenta iustificare sine fide Falsum, vt sapè: eo videlicet sensu, quem Pontificiis affingunt, cum sine fide impossibile sit placere Deo; quam initium omnis iustificationis esse, Concilium Tridentinum definit.

168. Sacramenta nullo prorsus sensu iustificare sine fide. Non ergo iustificantur paruuli fide destituti? Nisi fortè dicas, paruulos propriam habere fidem, quæ apud Pontificios incredibilis est fides. Infr.

169. Etiam ipsum Concilium Tridentinum opponere fidem operi operato in Sacramento, proindè verum esse, quicquid etiam dicat Alphonsus, Pontificios excludere fidem à salutaris Sacramentorum vsu. *Kemnit.* Si quod non sentiunt, velint, nolint, sentire debent Pontificij, vicit Kemnitius: At quomodo excludunt à Sacramento fidem, cum eam ipsam operi opponant in Sacramento? an quod non est in Sacramento, opponi potest in Sacramento?

170. Ipsos Pontificios, à Lutheranis conuictos, non audere amplius, commune alioquin ipsorum dogma tueri, quod vsus Sacramentorum sine fide saluet susipientem. *Kemnit. pag. 28.* Axioma vocat commune omnium Pontificiorum, quod nullus docet Pontificiorum.

171. Pontificios longè errare, quod negant, Sacramenta veteris legis contulisse gratiã, ex opere operato. *Heshus. in suis 600 errorib. cit. 15. err. 10.* Cum hoc nec nostris concedant Sacramentis, & opus operatum, monstruosum & portentosum appellent dogma. Supr.

172. Pontificios docere, Sacramenta veteris Testamenti nec ex opere operato, nec ex opere operãtis, contulisse gratiam. *Heshus. loco cit. err. 10.* Cum vix linea interiecta, eosdem arguat,

Millesexcenti Errores,

quod doceant, gratiam contulisse ex opere operato; aded nempè, dum errores Pontificiis affingunt, in ipsis suis erroribus implicantur & errant, vt quid dicant, velintque, ipsi nesciant. In hoc verò, omnes Pontificij discrimen inter Sacramenta noui & veteris testamenti constituunt, quod hæc ex opere operantis, illa verò ex opere operato, gratiam conferre dicantur.

De Charactere.

*Ex Kemn. in 2.
part. Examin. d. 173.
pag. 29.*

Concilium Tridentinum, summa leuitate & futilitate anathema dicere iis, qui negauerint, Sacramenta quædam imprimere in animam suscipientis eam characterem. *Kemn.* At nã is leuis & futilis, qui quod summa omnium exactissimaque diligentia & disquisitione definitum est, leue pronunciat & futiliter? Nihil autem leuiter, nihil futiliter in plenariis tractari Conciliis, ipsa per se satis testantur Concilia, quæ cum propter communem omnium hominum salutem congregentur, & celebrentur, nihil sanè leuiter, nihil agere à non leuibus præsumendum est futiliter.

174. Characterem esse Commentum scripturæ ignotum. *Kemn. pag. 30.* Sed si scripturis & sanctis consonus non esset Patribus, eum Concilium nec definiuisset, nec approbasset. Et signum quidem imprimi in animam, non obscure indicant sacræ literæ, quæ nos per Spiritum signari & inhabitari tradunt, Verba sunt Apostoli: *Qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris, &c.* quibus quidem verbis signum distinguit à pignore Spiritus.

2. Corint. 1.

175. Characterem recens esse figmentum, ignotum antiquitati. Sed figmentum & Commentum est aduersariis, quicquid recentibus eorum commentis non est consentaneum, qui cum ipsa quædam Sacramenta pro commentis habeant, quid mirum, si characterem quoque & effectus eorum pro talibus habeant? *Augustinus sanè, nec recens nec vulgaris auctor, Characterem non solum pro figmento non habet, sed in generali Concilio definitum*

*L. 15. C. de Bapt.
cap. 7.*

finitum tradit, ne ritè baptizati, rebaptizentur propter characterem: Alij verò Patres, et si non omnes ipso vtantur characteris vocabulo, alijs eum verbis, vtpote signi, sigilli, signaculi, quo anima ob signatur, & similibus, exprimunt. *Cyrl. Hierosol. Catech. 4. Basil. Orat. 13. de Bapt. Ambros. lib. 1. de Spir. Sanct. cap. 6.*

176. Patres, nomine Characteris, signi, sigilli, signaculi, &c. non aliud, quàm ipsum externum Sacramenti signum, intelligere. Cum expressè asserant, per ipsum Baptismum imprimi signum & signaculum in animam, eoq; ob signari tanquam sigillo: Sacramenta autem (nî fallor) non imprimuntur.

178. Characterem, recens esse figmentum Scholasticorum, qui tamen nec ipsi inter sese, quid sit, conueniant, aut certi aliquid definiant. Verùm nec recens, nec omninò figmentum esse, ipsi abundè testantur Scholastici.

179. Varias & incertas esse apud Scholasticos, de Characteris opiniones & disputationes. Cum nec vnum ex omnibus in medium proferre possint, eum qui negarit. Quamuis verò quid sit, quòve in subiecto propriè ponendus sit, aliqui ab alijs dissideant, Characterem tamen esse, atq; in animam imprimi, nulli negant. Aduersarij verò expeditam habent viam, vt id esse prorsus negent, quod explicare non possunt.

180. Duradum, Scorum, Gabr. & quosdam alios dubitare, *In 4. d. 6.* an euidenti ratione demonstrari possit Character ex scripturis vel Patribus. *Kemnit.* At cur magis dubitandum cum paucis, quàm non dubitandum cum multis? An non & ipse addit Gab. præsumptuosum esse negare? & (vt ipse annotat Kemn. pag. 30. col. 2.) magis consonare Ecclesiæ determinationi, ponere Characterem, quàm eius oppositum? atq; hanc communiorem esse Theologorum opinionem?

181. Concilium Tridentinum, & antè ipsum Florentinum, non debuisse sub Anathemate definire Characterem, quod non pauci, nec ex scripturis, nec ex Patribus, eum probari posse opinentur. At si res controuersæ defini non debent, quorsum Conuentus? quorsum Concilia? Quo quæso scripturæ testimonio vel

Millesexcenti Errores,

- Epistol. 15. vel mandato Apostoli quædam abrogârunt, quædam verò, quæ modo per Concilia abrogata sunt, præceperunt? hoc nempè, *Sicut visum est Spiritui sancto & nobis*; rationem aliam si habuerunt, scriptis non expresserunt. Denique eo ipso, quia aliqui de Characteribus dubitârunt, vel dubitare poterant, ne posthac dubitarent, per generalia Concilia, quid scripturis sacris & Patribus consentaneum esset, definiri debuit, quod utique nunquam fecissent, si dubitandum potius, quam definiendum, censuissent.
- In e. Majoris exte de Baptismo. 182. Innocentium tertium, primum fuisse Characteris inventorem & assertorem. *Kemm.* Cum paulò ante dixerit, Characterem recens esse Scholasticorù commentum & figmentum. Et ipse Innocent. in cap. allegato, alios ante se sensisse dicat, eos qui inuiti baptizantur vel ficti, non recipere aliud præter characterem: Quomodo primus, si alij ante ipsum?
- Maub. 25. 183. Ex ipso Innocentio characteris inventore colligi, de eo quid sit sentiendum, flagitiosum siquidem fuisse hominem; quare? quia contra Philippum Imperatorem curavit creari Otthonem, quem tamen ipsum quoq; fulmine excommunicatum ab Imperio deturbare sit molitus, ut iusto dolore aduersus ipsum exclamarit Vrspergensis, *Habes Roma quod sitisti, decanta canticù, quia per malitiam, non per religionem orbem vicisti.* *Kem.* En quam ob causam homines isti fidem & religionem abiiciant Pontificiorù, quia vitam quorundam non probant Pontificum, immemores verborum Christi: *Quæ dicunt facite, secundum opera eorum facere nolite.* Quid ergo, si detur, Opera quædam Innocentij, fidem nõ concernentia, fuisse mala? num rectè inferemus, dogmata quoque eius fuisse mala? De Præpositis malis (inquit Augustinus) *Deus plebem suam securam fecit, ne propter eos doctrinæ salutaris Cathedra deseratur, &c.* Vnde respondemus, quod idem similia obiicienti respondit Augustinus: *Et hæc non vides non esse aliqua documenta, sed vana conuitia? dicis quidem ista, nihil probans, sed et si de aliquibus probares, cæteris de his nihil præscriberes, veruntamen si omnes per orbem tales essent, quales vanissimè criminaris, cathedra tibi quid fecit Romana? in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet? cui nos in vnitatem connecti.*
- Lib. 2. cont. lit. petil. cap. 51. Idem in Psal. 36.

connectimur, à qua vos nefario scelere separastis, quare appellas Cathedram pestilentia Cathedram Apostolicam? Hac si cogitaretis non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolicam, cui non communicatis; sed quid est aliud, quàm nescire quid dicere, & tamen non posse nisi maledicere? &c. Fidem ergò Deus, non super hominum vel Pontificum qualemcunq; vitam, sed suprâ suam fundavit Ecclesiam & Cathedram.

184. Supradictum Innocentium, illaudatum fuisse Pontificem ac flagitiosum hominem. *Kemnit. cit.* Cum *Krantzius*, hystoricus apud nostrâtes non vulgaris, laudatissimum, doctrinâq; & rerum magnificentia fuisse scribat celeberrimum; *Quin* & ipsum mirificè laudat *Vrspergensis*, ipsumq; tanquam virum fortem, & in Domino confidentem, tria ardua negotia perfecisse, *Othonis* depositionem, Expeditionem in terram Sanctam, & Concilium generale maximum, & Ecclesiæ utilissimum. Quàm verò iustas depositionis *Othonis* habuerit causas, ipse quoq; notat *Vrspergensis*. Quanquam (ut dictum est) nulla Pontificum vita, siue bona siue mala, fidei derogare potest aut debet; Nec ipsi Imperatores à Pontificibus excommunicati, fidem propterea & religionem deseruerunt aut impugnarunt Catholicam?

*Lib. 9. Metroe
pol. cap. 1. Et
lib. 12. cap. 29*

185. *Vrspergensis* iusto dolore contra *Innocentium* exclaimare, *Non religione, sed malitia Romam vicisse orbem.* Scilicet, omnis contra Pontifices iusta est exclamatio? Cum tamen non iniustam habuisse causam, idem referat *Vrspergensis*. At demus, vicisse per malitiam mundum, Num præstat per malitiam, quàm per nouam aliquam deprauare orbem religionem? An præstat malè viuere, quàm malè credere, malè docere? propriam turpiculare personam, quàm (ut *August.* loquitur) Apostolicam maculare Cathedram? *Supr.*

186. Characterem non esse signum gratiæ inexistentis, vel quæ inesset, nisi obex impediret. *Kemnit. Hessbus.* Quasi ipsam magis gratiam, quàm Characterem inhærere animis hominum concedant? Nisi tamen quis characterem neget, eum signum esse gratiæ Sacramenti sui negare non debet, eum sit effectus Sa-

G

cramen-

Millesexcenti Errores,

eramenti secundarius, qui produci vtiq; non potest, nisi primus prior producat: Et sicut Sacramentum, ante vsum, signum est gratiæ producendæ, ita character productæ.

187. Characterem non esse figuratiuum seu assimilatiuum Christo. *Idem.* Hæc quoq; proprietas pendet à priori. Cum enim Character proprietas quædam sit spiritualis, ad alia Sacramenta, vel percipienda vel administranda, non immeritò configurate nos Christo dicitur. *1. in quo & à quo est potestas omnis.*

188. Characterem non esse potestatem spiritualem. Sed si non est potestas, quæ ergò propria est ratio, cur baptizati ad alia Sacramenta percipienda admittantur, ad quæ nullus patet non baptizatis accessus? Vnde est quod ritè ordinatus, legitimus constituitur Minister omnium Sacramentorum, alij verò quantumuis ritè baptizati non constituuntur? *Loquor autem de legitima et Ecclesiastica, non Politica ordinatione.*

189. Characterem non esse signum distinctiuum. Quo ergo alio signo distinguetur Clericus à Laico? baptizatus à non baptizato? Aut idè Character signum non est, vel esse debet distinctiuum, quia alia quoque signa sunt distinctiua?

190. Characterem non esse signum obligatiuum ad totam legem obseruandam. At si Circumcilio signum imprimèbat, ppter quod homo obligabatur ad totam legem seruandam, cur Baptismo tale signum spirituale abnegatur?

191. Ridiculos esse Pontificios, quod sibi Characterem arrogent, cum eundem Christo derogent, Nec aliud esse dicant, quàm potestatem spiritualement Christo configurantem. At Christus Sacramenta percepit nulla, per quæ characterem perciperet: Nec potestatem absolutè, sed participatam, esse dicunt Pontificij, qua Christo modo aliquo configuramur, & ab alijs non signatis distinguimur.

192. Ridiculos esse Pontificios, quod asserunt, tria solummodo Sacramenta, Baptismum putè, Confirmationem & Ordinem, imprimere characterem, cum interim singulos, minores atq; maiores ordines, singulos imprimere characteres, identidem doceant,

doceant, & numero characterum ipsum exceedant numerum Sacramentorum. *Kemnit.* At nã ridiculi ipsi, qui cum Calicem nõ minus ac panem Sacramentum esse doceant, duo tamen duntaxat Sacramenta, Aquam & Coenam, identidem docent? Sicut ergo duæ species, ita neq; plures ordines multiplicant Sacramentum, cum ad vnum referantur omnes.

193. Characterem non esse signum indelebile in anima. Cum tamen contrarium habeat nullum, per quod deleatur. Nec delebilem vllum vnquam definiert Concilium.

194. Characterem non esse causam, cur Sacramenta quædam non reiterentur: Sed aliam nec Concilia hætenus, nec Theologi reperire potuerunt.

195. Sacramenta quædam non iterari, non propter characterem, sed propter diuinam institutionem. Miror, quæ, & vbi talis institutio? neq; enim scriptura vspiam tradit, sic esse instituta, ne iterentur.

196. Magis rixari & digladiari Pontificios de characterem, quàm de ipsis Sacramentis. *Kemnitius pag. 31.* Quasi hoc ipsum aliud sit, quàm propugnare ipsa Sacramenta, quorũ est effectus?

197. Ideò recedendum esse ab opinione characteris, quod plenum consolatione dogma labefacter, nempe, post lapsum nõ opus esse pœnitentia Pontificia, sed sufficere baptismi semel percepti rememorationem. Cum dogma istud non Christianum sit, sed Lutheranum, commiscens baptismum cum pœnitentia, plenum magis damnatione quàm consolatione. *Infra.*

198. Deum permittere, tam pertinaciter Pontificios dimicare pro tuẽda opinione de characterem, vt manifestum fiat, apud quos sit character ille bestię & meretricis Babylonicæ, cuius *Apo. 13. 14.* frequens est in scripturis mentio. Dicitur putà: Omnem hæreticum bestiam esse & meretricem spiritualement, nec ipsi quidem negabunt hæretici, cum scriptura eos passim & lupos appellet & fornicarios. *Matth. 7.*

Act. 20. Isai. 1. Jerem. 3.

De Comparatione Sacramentorum ad inuicem.

Kemnit. in 2. par.
à pag. 17.

199. Sacramentum nullum dignius esse altero, quod eodem omnia consentit verbo. *Luth. de Instit. Ministr. Pragens.* Quasi verò, si respectu vno sint paria, nullo esse possint diuersa? Et quodnam dignius Eucharistia? in quo non solum gratia, vt in cæteris, sed ipse fons continetur & confertur omnis gratiæ Christus?

Canon 3.

200. Concilium Tridentinum aërem verberare, cum damnat Lutheranos, quod omnia Sacramenta faciant paria, cum præter Cœnam & Aquam, cætera nec Sacramenta quidem faciant, ad eò præ affectione nesciisse Patres illos, quid vel quos damnarent. *Kemnit. pag. 17.* At nã ipsi præ affectione quid loquantur, nesciunt? Neque enim Concilium ad numerum respexit septenarium, quem negantes, canone 1. damnauerat, sed ad dignitatem duntaxat, quam nec inter Baptismum quidem & Eucharistiam Lutherus agnoscit.

201. Concilium Tridentinum, non alios supradicto Canone damnare, quàm suos Scholasticos, qui sinxerunt reliqua Sacramenta, non minùs ac Baptismum & Eucharistiam, verè ac propriè esse Sacramenta. *Kemnit. loco citat.* Minimè: Eos enim damnat, qui nec Baptismum quidem ab Eucharistia dignitate fecernunt.

202. Concilium præfato canone non aliud voluisse stabilire, quàm veteres illas contumelias, de dignitate Chrismatismatis & Ordinis, suprà Matrimonium. *Kemnit.* Vaniloquia sunt omnia, quæ hoc loco assertit Kemnitius; Neq; enim aliud Concilium definit, quàm Sacramenta diuersis respectibus, alterum altero esse dignius, quod nemo negat Catholicus.

De Necessitate Sacramento-
rum.

203. **N**on esse necessaria vlla Sacramenta ad salu-
tem. Hanc sententiam, etsi Kemnitijs Lutherano-
rum esse neget, re ipsa tamen non Lutheri modo, sed
ipsum est Kemnitij, qui (vt supra) nullam prorsus Sacramentis,
sed soli fidei gratiam tribuit & iustificationem, Vnde sicut o-
pera, ita quoq; Sacramenta ad salutem nihil conferre autumat.
Verba Lutheri sunt: *Baptismus neminem iustificat, aut vlli prodest,
sed fides in verbum promissionis.* Et alibi: *Nos dicimus, nec veteris
nec noui testamenti Sacramenta iustificasse, sed fidem solam.* Et Phi-
lippus in Loc. ann. 23. *Non iustificant signa, vt Apostolus ait,
Circumcisione nihil prodest, ita baptismus nihil est, participatio mensæ Da-
mini nihil est, &c.* Sacramenta ergò, etsi non sunt contemnenda,
ad iustificationem tamen & salutem hominum, opinione eorum,
non sunt necessaria. Atqui necessaria esse, ex scripturis est per-
spicuum. *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu, non potest in-
troire in regnum cælorum: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribi-
tis. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem,
non habebitis vitam in vobis, &c.*

Ex Kemn. in 2.
part. Examin. d.
pag. 18.

De Capt. Babyl.
cap. de Baptismo.
In Assert. art. 17.

Ioan. 3.
Luc. 13.
Ioan. 6.

204. Pontificios docere, omnia Sacramenta, etiam ea que
verè & propriè Sacramenta non sunt, singulis hominibus ad sa-
lutem esse necessaria. Kemnit. pag. 18. Errant: Etenim solum
Baptismum singulis, pœnitentiam solis peccatoribus, Cætera
verò tuo modo & ordine docent esse necessaria.

205. Fieri Lutheranis manifestam iniuriam, quod exclu-
dant Sacramenta à iustificatione. Kemnit. At Lutheri verba in
lib. contr. Cochlæum hæc sunt: *Non potest vlla pars iustificationis
tribui Baptismo.* Et quidem cum solam fidem iustificare omnes
communiter affirmant & contendunt Lutherani, nec vllâ par-
tem signis tribuant, vel operibus, quomodo Sacramenta re ipsa à
iustificatione nō excludunt?

206. Sacramenta esse necessaria propter imbecillitatem fidei nostræ, quæ etsi propter verbum promissionibus credat, & eas aliquo modo apprehendat, tamen quia infirma est, & nondum firmiter eas apprehendit, necesse sit quod vacillet, proinde Deum instituisse & ordinasse Sacramenta, quæ sint tanquam visibile verbum, & adminiculum fidei, ne vacillet. *Kemnitius*. At hoc quid aliud est, quam Sacramenta penitus excludere à iustificatione? An autem propter fidem alendam sint instituta, supra examinavimus.

207. Sacramenta esse necessaria propter diuinam institutionem, quæ enim Deus hoc consilio, & in hunc finem instituit, ut per ea, credentibus exhibeat, applicet, & obsignet, beneficia Mediatoris, ea nec inutilia, nec superflua censei debere. *Kemnitius pag. 19*. Quasi quisquam aliquando tam fuerit phanaticus, qui negarit, Sacramenta esse necessaria propter diuinam institutionem, si diuinitus instituta esse crederet, quæstio nulla est, an à Deo sint instituta, contemnendaq; sed an gratiam, quam exhibent & applicant, verè producant, non propter fidem annexam, sed propter diuinam institutionem, proinde non tam necessaria propter Dei institutionem, quàm propter hominis sanctificationem & iustificationem. Sic enim verba sonant. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* *Nisi penitentiam egeritis, &c.*

208. Sacramenta esse necessaria, propter diuinæ prædestinationis & vitæ æternæ oblationem, eo enim ipso, quo quis Sacramentum percipit, tanquam diuino quodam sigillo, de sua prædestinatione certus efficitur. *Calvinus*. Quasi non æquè reprobi baptizentur, ac prædestinati? Aut fortè nulli baptizati, seu sigillo baptismi obsignati, damnantur? quid est ergò quod Scriptura inquit: *Nisi penitentiam egeritis omnes simul peribitis?* Item: *Si iustus se auerterit à iustitia sua omnium iustitiarum suarum, quas operatus est, non recordabor amplius? Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis?* Quæ quidem verba non ad infideles, sed ad fideles dicuntur & baptizatos.

Ioh. 3.
Luc. 13.

Luc. 13.
Ezech. 18.
Ioh. 6.

209. *209.* Sacramenta nemini prodesse, nisi credat, ea non solum in genere à Deo esse instituta pro omnibus, sed etiam pro se in particulari, per quæ sibi gratia exhibeatur, offeratur, & applicetur. *Kemnit.* Quæ ineptiæ? Quasi tam excors sit quisquam, qui nisi id crederet, Sacramentum vel quæreret, vel perciperet? Ideò siquidem Sacramentum quisque percipit, quia sibi in particulari utile & necessarium esse credit.

210. *210.* Pontificios necessitatem Sacramentorum non tantum eò referre, quòd sint causa instrumentales, per quas à Deo nobis offeratur, exhibeatur, & applicetur gratia iustificationis, sed etiam ad ipsam gratiam obtinendam, & hoc nolle ipsos soli tribuere fidei, sed adiungere necessitatem Sacramentorum, hoc est, intelligere nostrum opus, quod in susceptione Sacramentorum facimus, ità ut fides non sola, sed vnà cum dignitate seu merito illius operis, accipiat gratiam iustificationis. *Verba sunt Kemnitij pag. 18.* Ex quibus euidenter elucet, Lutheranos nullam prorsus Sacramentis tribuere gratiam aut iustificationem, sed soli fidei, Cum tamen ibidem sapius repetat, *Neminem sanum intelligere, iustificationem propter solam fidem tribui Sacramentis, quasi excludatur à iustificatione gratia DEI, meritum Christi, ministerium verbi & Sacramentorum.* Si ergò non excludunt gratiam à Sacramento, at certè excludunt ab efficientia Sacramenti; Aut si nec ab hac excludunt, quid est ergò quod in Pontificiis reprehendunt?

211. *211.* Pontificios, quando docent Sacramenta esse necessaria, propter gratiam consequendam, & solam fidem non sufficere, non aliud intelligere, quam præter fidem necessarium esse nostrum opus, propter cuius dignitatem & meritum gratia conferatur. *Kemnitius loco citato.* Cum paulò infra acerbè perstringat Pontificios, quòd gratiam tribuant Sacramento & operi operato, non operantis. An idem est opus nostrum, quod est opus operantis, & opus operatum? An (ut supra) palàm passimq; omnes clamant, Pontificios per opus operatum omnem excludere motum interiozem? quomodo ergo gratiam tribuunt

tribuunt operibus nostris: An opus Sacramenti, opus est nostrum? Itaque manifesta calumnia est, quod quisquam Pontificiorum aliquando docuerit, gratiam conferri propter opera nostra, aut ipsa opera Sacramentorum, esse opera nostra.

212. Concilium Tridentinum, ideò nominare Sacramenta nostra, Sacramenta nouæ legis, ut insinuet mutuam connexionem & relationem operum nostrorum, & legis, in ipso Sacramentorum usu. *Kemnit.* Nimia perspicacitas: Per legem nouam, Euangelium Pontificij intelligunt, Isti opera hominum somniant. Nisi fortè intelligat Kemnitius (longè enim prospicit) Euangelium Christi, non esse legem, nec vlla continere operum mandata, sed verbum tantummodo fidei, plenum consolatione, eximens nos ab omni lege, iuxta illud tritum eorum, sed perperam intellectum axioma, *Iusto lex non est posita: Vos autem sub lege non estis.* De qua re suo loco. Euangelium siquidem plurima continere præcepta, sine quorum obseruatione salus nulli contingat, ipsum satis declarat Euangelium. Matth. 19. Iac. 1. 2.

1. Tim. 1.
Rom. 6.

213. Pontificios, quando docent, Sacramenta in re vel in voto esse necessaria, per votum non aliud intelligere, quam pollicitationem certi operis ad accipiendam gratiam iustificationis. *Kemnit. pag. 18.* Somnium: Neque enim pollicitationem vllius operis, sed desiderium promptamq; mentis intelligunt voluntatem percipiendi Sacramentum, quod re ipsa percipi non potest.

214. Non esse necessaria Sacramenta vlla, quod populus Christianus signis non sit alligatus vel alligandus corporalibus. *Schwenckfeldiani.* Sed hi (ut supra) non nos, sed Christum, qui ea instituit & tradidit, arguunt, qui utiq; nisi salutaria & necessaria essent, ea non instituisset.

215. Phanaticos & prophanos esse, qui autumant, superfluum & non necessarium esse Sacramentorum usum, si sola fides sufficiat & iustificet. *Kemnit. pag. 18. 19.* Cum nulli Pontificij, sed soli sic sentiant Lutherani, hi enim vel toli sunt, qui solam sine signis & operibus fidem iustificare autumant, An hi phanatici & prophani?

DE

De Ministro Sacramento-
rum.

216. **Q**uemlibet hominem baptizatum, Ministrum esse Sacramentorum. *Communis error omnium.* At si omnes Ministri, qui ergò & ubi ministrandi? Quid est, quod Apostolus ait, *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei?* An Apostolus discrimen agnoscit, inter homines laicos & Ministros legitimos? Ex Kemn. in 2.º
part. Exam. d.
pag. 31.
1.º Cor. 4.

217. Lutherum non sensisse, quod illi tribuunt Pontificij, quemlibet Christianum promiscuè, sine legitima vocatione, posse vel debere sibi arrogare, vel usurpare, ministerium verbi & Sacramentorum. *Kemnit.* At verba Lutheri de Instit. Ministr. ad Pragens. de Clauib⁹ hæc sunt: *Cessent hominum mendacia, Claves sunt totius Ecclesie, & cuiuslibet membri eius, tam iure quàm usu & omnibus modis: Et in eod. libr. Sacerdos præsertim in nouo testamento non fit, sed nascitur, non ordinatur, sed creatur, nascitur in Baptismo. sunt q. prorsus omnes Christiani Sacerdotes.* Et de Abrog. Miss. ann. 27. *Scripturis firmabimus, legitimum illud & vnicum verbi ministerium esse commune omnibus Christianis, sicut & Sacerdotium & Sacrificium.* Similia habet plurimis locis aliis. De Capt. Bab. cap. de Ord. Et in art. à Leone X. damnatis, art. 13.

218. Lutherum, vel stertentibus etiam Pontificiis, contra Anabaptistas ex verbo Dei monstrasse, neminem sine peculiari & legitima vocatione, etiam si sit doctissimus, debere sibi usurpare ministerium verbi & Sacramentorum. *Kemnitius loco cit.* At verba Lutheri allegata longè sonant aliud. Sed neq; necesse erat, id ex verbo Dei monstrare, cum per Magistratus id nulli vnquam licuerit vel liceat. Neq; status quæstionis est, de usu & Exercitio potestatis, sed de ipsa potestate. An scilicet, qui libet potestatem habeat administrandi Sacramenta, cæterasq; functiones Ecclesiasticas, siue permittatur, siue non permittatur à

H Magi-

Millesexcenti Errores,

Magistratu Politico. Apostoli siquidem non modo à nullo vocati sunt magistratu, sed ab eo ferro flammaque ne exercerent, quam à solo Deo potestatem acceperant, prohibiti, quod utique non fecissent, si vocationem legitimam à magistratu pendere quoquo modo existimassent. Nec ergò Creatione, nec baptizati-
one, nec secularis magistratus vocatione, legitimi verbi & Sa-
cramentorum constituuntur Ministri.

219. Legitimam Ministrorū vocationem eam esse, quan-
do à Magistratu Politico vocantur. Verum hoc pacto non tam
Caluiniani, quàm Lutherani, cæteriq; Pseudoministri & sedu-
ctores legitimi essent ministri: An & Pontificij sine Magistratus
permissione ministerium exercent?

220. Pontificios illam solam legitimam agnoscere vocati-
onem & constituere, quæ in regno Pontificio, mitris, rasuris &
vincturis Episcoporum & Monachorum arrogatur. *Kemnit.* At
si capillatis & capellatis, lardoque magis & Smigmate, quàm
Chrysmate, perunctis, talem potestatem arrogant ipsi, cur mi-
tratis & Chrysmatis derogant? an maiorem habent intonsi, quàm
detonsi, comati quàm rasi potestatem?

De priuat. Mis.
& unct. Sacerdo.

Diabolicā Mis-
sam Lutherus nō
refugit,

221. Etiam ipsum Diabolum, ministrum esse posse Sacra-
mentorum, dummodo formam seruet & institutionem Christi.
*Ego enim (inquit Luther.) non dicam, quod Papistæ dicunt, nullum
Angelum, nec Mariam quidem consecrare posse, sed econtra dico, si Dia-
bolus ipse veniret, & ego postea resciscerem, Diabolum ita irrepisse in offi-
cium pastoris Ecclesiæ, in specie hominis, vocatum ad prædicandum, & pu-
blice in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse Missam, & absoluisse à pecca-
tis, & tali munere functum esse iuxta institutionem Christi, tum cogeremur
fateri, Sacramenta non ideo esse inefficacia, sed verum baptisma, verum E-
uangelium, veram absolutionem, verum Sacramentum corporis & san-
guinis nos accepisse?*

Fortè remunerationis & gratiarum actionis loco hoc of-
ficium & Ministerium Lutherus Diabolo detulit, quia ei, vt
Missam abrogaret, præcipuum Christianæ religionis mysteri-
um, auctor fuit. Sed quomodo hæc doctrina cohæret cum illa,
quam

quam (vt paulo antè) Lutherum, etiam stertentibus Pontifici-
is, contra Anabaptistas vindicasse Kemnitiuſ ſcribit, neminem
niſi legitime vocatum, pro legitimo miniſtro eſſe agnoſcendum?
Num legitime vocatus & baptizatus eſt Diabolus? Num vlla
Conuentio Chriſti ad Belial? Num Chriſtus diſpenſationem
myſteriorum ſuorum aliis aliquando commiſit, quàm homini-
bus?

2. Cor. 6.

222. Non uſq; aded videri debere abſurdum, Diabolum
exercere miniſterium verbi & Sacramentorum, cum & Iudas, &
alia membra Diaboli, idipſum poſſint exercere: Sacramento-
rum enim inſtitutionem & efficaciam, non pendere vel proue-
nire à bonitate miniſtri, ſed à ſolo Deo. Verùm aliud eſt malos
homines, aliud miniſterium exercere Diabolum. Etſi enim in-
ſtitutio, efficaciaq; Sacramenti à bonitate vel malitia miniſtri,
non pendet, eorum tamen legitima adminiſtratio, hominem,
non aliam exigit creaturam, hominibus enim non angelis vel
Diabolis dictum eſt: *Hoc facite in meam commemorationem. Quoſ-*
cunq; ligaueritis, &c. Euntes docete & baptizate, &c. Itaque bap-
tismus à Diabolo collatus, nullus eſt, quantumuis formam & in-
ſtitutionem ſeruet: Memorabile verò vel potius mirabile au-
ditu eſt, quod Miſſam à Diabolo celebratam non refugiat Luth-
cum eam ipſam, auctore Diabolo, abrogarit?

Matt. 26.

Matt. 16.

Marc. 16.

223. Etiam mulieres miniſterium verbi & Sacramentorū
exercere poſſe. *Luth. in Art. à Leone X. condemnatis.* Cum Apo-
ſtolus nec loqui quidem mulieri in Eccleſia permittat: ſi tamen
apud ipſos parum refert, quis miniſterium verbi & Sacramento-
rum exerceat, per nos licet, vt quoniam Eccleſiæ Catholicæ ri-
tum, miniſteriumq; & ordinem omnem confundant, mulieri-
bus Cathedras ſuas, aliasq; functiones eccleſiaſticas, commit-
tant, maiorem fortassis gratiam verbi, & concurſum habebunt
populi, quàm ipſorum mariti miniſtri. Quod ſi baptizare muli-
eribus permittitur, neceſſitate tantummodo exigente, non alia
ratione, permittitur.

1. Cor. 14.

Millesexcenti Errores,

224. Veram Sacramentorum administrationem non requirere ullam ministri intentionem, sufficere, si iuxta formam & institutionem Christi dispensentur. *Kemnit. Luth.* Quali ipsa institutio Christi, intentionem excludat ministri, sine qua nec humanae quidem actiones consistunt.

225. Sufficere intentionem suscipientis Sacramentum, quamuis minister nullam habeat. *Luth. loc. cit.* sed hac ratione Baptismus etiam, à Simia vel Diabolo collatus, reitendus non esset.

226. Adeò nullam requiri intentionem, vt etiam iocularis sufficiat & mimica. *Luth. Caluin. in Antith. Concil. Sess. 7. can. 11.* At hoc non est ministrare, sed subfannare Sacramenta. Quoi sum ergo tot tantisq; sumptibus conquiruntur & conducuntur Ministri? cum passim habeantur histriones & mimi?

227. B. Athanasium per iocum baptizasse pueros, nec tamen fuisse rebaptizatos. *Kemnit. Luth. de Miss. priuat.* Cum (vt ex historiis liquet Ecclesiasticis) catechumenos, & vera, quamuis puerili intentione, baptizauerit. *Ruffin. lib. 10. cap. 14. Sozom. lib. 2. cap. 16. Niceph. lib. 8. cap. 40.*

Philip. 1. 228. Apostolum Paulum non requirere, quod verbum Dei bona intentione prædicetur, dummodo prædicetur, parum ergò referre, qua intentione Sacramenta ministrentur, dummodo iuxta formam & institutionem ministrentur. *Luth. in Assert. 12.* Sed aliud est longè nulla, aliud mala intentione ministrari. Intentione requirimus, bonam absolutè necessariam non dicimus.

229. Si Sacramenta penderent ab intentione Ministri, incertum futurum, verumne Sacramentum quis perceperit & percipiat, nec ne, quandoquidem de intentione alterius certus esse possit nemo, atq; ita perituram quietem & consolationem conscientiarum. *Kemnitius.* Conscientiam sibi faciunt homines isti de intentione, cum nullam faciant de legitima ministrorum vocatione & Ordinatione, sine qua nec Minister quidem, aut ministerij legitimus vsus esse potest, colantes (vt inquit scriptura) culicem, & deglutientes camelum. Itaq; magis de Vo-
catione

Matth. 23.

eratione & Ordinatione suorum, quàm de intentione aliorum solliciti esse deberent. Propter intentionem verò nullus adhuc, (quod sciam) in desperationem abiit, sufficit enim certitudo moralis & humana.

230. B. Augustinum non ausum fuisse definire, Num per iocum collatus Baptismus, sit efficax. *Kemnit.* & addit, *Augustinum pro solita sua modestia noluisse definire.* Sed Augustinus causam addit, cur definire noluerit, quod nullo adhuc generali, vel Regionali Concilio res illa esset definita: *Kemnitius* verò & *Lutherus*, pro solita ipsorum modestia, contra omnes Augustinos & Concilia intentionem nullam requiri definiunt, requiri enim non tam Tridentinum definiuit, quàm Concilium Florentinum. Exigua sanè modestia, audacter & pertinaciter asserere, quod nemo asserere ausus fuit, nisi Concilio aliquo assereretur & definiretur.

231. Innocentium Quartum (teste Angelo in summa) ad veritatem Sacramenti non requirere, quod minister gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, dummodò formam seruet & institutionem. *Kem. pag. 33.* At Innocentius addit, quod *Kemnitius* omittit: *Dummodo intendat Baptizare.* Intentionem ergo requirit, tametsi non eam necessario, quàm Ecclesia respicit, ut intendat in particulari finem & effectum Sacramenti, quem Ecclesia intendit, sufficere autem, quod intendat baptizare.

232. Lombardum & Scholasticos dissentire inuicem de Intentione Ministri, quosdam enim (ut Alens.) non requirere aliam, quàm faciendi, quod Christus fecit & instituit: alios vero, (ut Gabrielem) requirere intentionem etiam finis. *Kemnit.* An ex hoc ipso non satis liquet, intentionem qualemcunq; requiri? nisi enim in hoc omnes consentirent, de modo non dissentirent. *Kem.* verò cum suis expeditam habet viam, ut id totum neget, cuius modum explicare nescit, quæ si directa esset via, per eam Scholastici quoque incessissent.

233. Nullam prorsus intentionem requiri, vel requirere, esse Sententiam certam, simplicem & veram, quæque præbeat

conscientiis firmam, vtilem, & necessariam consolationem. *Kem. pag. 34.* Omnino putà: quia Kemnitius est Minister & Superintendens verbi Domini, verbum autem Domini manet in æternum, & non mentitur. Conscientiam sibi faciunt homines de culice colando, camelum deglutiendo: Aliter verò senserunt Patres, aliter Concilia, aliter Theologi, aliter Scholastici, aliter omnes vbiuis gentium Christiani.

Maub. 23.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Ex Kemn. in 2. 234. part. Examin. d pag. 39.

Baptisma Ioannis verum fuisse Sacramentum, sicut est Baptisma Christi. *Kemnit. Heshus. tit. 16. err. 1.* Sed si verum fuit Sacramentum, quomodo duo tantum esse Sacramenta contendunt, Baptisma Christi, & Cœnam? An Baptismus Ioannis baptismus est Christi? An ad Sacramentum propriè dictum, opinione eorum (vt supr.) non requiritur, vt institutionem habeat in nouo testamento? An habet baptisma Ioannis? Neq; enim Christum instituisse legimus. *235.* Baptisma Ioannis non fuisse diuersum à baptismo Christi. *Philip. in Loc. ann. 58.* Sed si idem; quomodo non Christi sed Ioannis baptisma dicitur?

256. Baptisma Ioannis, non Christi, sed Ioannis dici, propter ministerium eius. Sed hac ratione etiam baptisma Christi, Baptisma deberet dici Petri vel Pauli, cum & hi sint ministri baptismatis Christi.

Actorum 19.

236. Ioannem baptizasse in nomine Trinitatis, Patris & filij, & Spiritus sancti. *Centur. 1. lib. 2. cap. 6.* At quo Scripturæ vel Patrum testimonio? quin in nomine venturi baptizasse non obscure innuit scriptura, cum ait, Ille baptizabat, docens credere in eum, qui venturus est.

237. Baptisma Ioanniseandem habuisse vim & efficaciam cum Baptismo Christi. *Philip. Calum. lib. 2. cap. 15.* Sed si eandem